

Q. N. 150, 31.

Ye
5220

ACTUS INAUGURATI
introducō in Gymnasium Zit-
taviense VII. Calend: Sextiles,
Anno cId. Idc. XVI.

II. 837

NOVO RECTORE,

Continens x 2044 148

1. *Dissertationem* JOANNIS FRIEDRICI
ZITTAVI Senat. de LEGIBUS;
2. *Orationem* M. AUGUSTINI PREILII
TORGENSIS, Rectoris inaugurati, de Philippi
Melanchthonis τῆ μακαρίτησ laudibus.

SENECA lib 12. epist. 85.

Hoc primū nobis persuadeamus, nemi-
nem nostrū esse sine culpa; mortali-
tati agnatum est errare.



ZITTAVIÆ

Excusus Typis JOANNIS VENATORIS.





Seneca lib. 12. epist. 85.

Quicquid lectione collectum est, stilus redi-
gat in corpus: apes (ut ajunt) debemus
imitari, quæ vagantur, & flores ad mel
faciendum idoneos carpunt; deinde, quic-
quid attulere, disponunt, ac per favos
digerunt, & (ut Virgilius noster ait)
— liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt necta-
re cellas.



Ad

Amplissimos & Clarissimos Consules Zittavienses

D N. GREGORIUM GVALTHERUM,

D N. DAVIDEM GEBHARDUM,

D N. ALBERTUM ENGELMANNUM,

Compatres & Collegas suos honorandos.



Menedemi Philosophi dictum aureum extat, Clarissimi COSS, qui Athenas navigarent, primò sapientes esse, tùm Philosophos, tùm Rhetores, deniq; rudes & idiotas. Idem & iis evenit, qui in politico salo navigant, præsumto judicio subnixi, variâ opinionum tempestate jactantur, nunc vela faciunt, nunc contrahunt, litus legunt, voraginibus immerguntur, rursus emergunt, & ita miris modis foedum collidentium affectionum spectaculum modestioribus præbent, donec vel *δοκησισοφίαν* civilis scientiæ falsissimam de pulmone revelant, vel ad infames scopulos, & naufraga saxa allidant. Poëta enim versu,

Difficilis regnare labor, parère quietus.

O quantum curæ, qui benè præsit, habet!

In tot autem humanis erroribus, veluti in undoso mari, gravissimæ & firmissimæ anchoræ, quibus contra tempestatum & insidiantium Sirenium vim, juxta **D E U M** præpotentem, qui

Divósq; , mortalesq; turmas

Imperio regit unus æquo,

A 2

*Plutarch.
in commēt.
quemadm.
sentias te
in virt. pro
ficere. pag.
(mibi) 35.*

*Joan: Ma-
jor.*

*Horat. lib.
3. carm:
od. 4.*

illæ-

Cicero lib. 3. offic. lib. 1. de. ll. illasi, & quieti in Rep. maneamus, LEGES sunt: harum enim praesidio non modo tuti ab injuriis vivimus, sed in his recta imperandi & prohibendi norma consistit, emendantur vitia, commendanturque virtutes, in rebus acquirendis, retinendis, alienandis, omnibusque contractibus pari jure tenemur, & ut uno verbo absolvam, hoc est Palladium illud, in quo recumbit salus omnium. Merito igitur sacratissimas leges amemus, colamus, testimonia & elogia de his demus. Feci nuper in actu inaugurali tenui sermone libenter, si non sufficienter, & quia vestro jussu dixi, vobis quoque ClariSS. COSS. hunc involucrem ingenii partum dedicare & inscribere placuit: quanquam primo non animatus eram, ut iste typis divulgaretur, aut potius hominum maleferiatorum sermonibus traduceretur; attamen non tantum consensus eruditorum amicorum eò me persuasit.

Homer. Odyss. 1. v. 170.

οἱ μὲν Φέρτεροι εἰσι νοῦσαί τε κ' ἔργαί τε.

sed ea ratio quoque me permovit, ut videlicet hac panegyri testatum facerem, quam pervigili cura, & studio, quibus sumtibus Vos, COSS. totusque SENATUS, promotum eatis optimas artes, sine quibus parum ornata aut instructa Resp. ulla aut fuit unquam, aut erit. Scientiam enim litterarum totus mundus illuminatur, & vita nostra sine litteris mors est, & vivi hominis sepultura. Pergite igitur in hoc stadio, viam hanc verae laudis porro insistite, divinis humanisque litteris propagandis, nomina vestra non modo in hoc caduco, sed in altero duraturo seculo aeternitati consecrate:

Melissus lib. 2. parnet.

*— Nunquam moriuntur, quos sua virtus,
Et pietas caelo, vitamque recta beat.*

Ita salvetur optimi COSS. Zittaviae Lusae. Kalend. Septemb. Anno c1o 1oc XVI.

JOAN. FRIEDRICH.

Viro Docto, & Bono,
inclutæ ZITTAVIENSIVM Curia,
& Reipublicæ Senatori cato, & cordato

DN. JOANNI Friedrich

Amico suo

*In honorem, orationemq; Inauguralem in introdu-
ctione Novi Scholæ Zittaviensis Rectoris habitam.*

DE LEGIBUS

GOTTFREDUS Glich von Wilzig

J. C. & Reipubl: patriæ Gorlicens. Syndicus

L. M. Q.

scripsit EPIGRAMMA

Ad

M A R C U M

virum Germanum, antiquæ fidei.

Sint alii TITULO, Consultus doctus hic est RE,
Quem jus, LEX, & FACTUM probat esse VI-
RUM.

Nil docto fucus, nil fictile, MARCE, putamen:

In mundo regitur nil sine LEGE, VIRO.

Qui sapit, hoc capiet: qui non capit, ille sapit vix:

Hic docto est doctus, quem probat ARTIS

OPUS.

Das Werck lobet den Meister/sagen die Deutschen Marckbrüder:
Ob gleich der Esel vnter der Nachtigal gefang/vnd des Kuckucks ge-
sney keinen vnterscheidt machet.

A 3

Ad



Ad

J. C. Doctissimum, Senatorem Prudentissimum,
DN. JOHANNEM FRITSCHIUM Zittavien-
sem, amicum sincerum; in premissam Inaugurationi Novi Recto-
ris Dn. M. August. Preilii de L L. dignitate

μεγαλίων;

Schediasma M. ELIÆ CÜCHLERI P. C.

Gymnasii Augusti apud Gorlicens. Rectoris.

AUrea dum regeret melior mens secula, coeli
Atq; fatûs memor: haud Legibus usus erat.

Verum ubi succedens vitiis induruit ævum:

Indulsiq; sibi quæq; Libido ferox:

Legibus haut poterant jam-ferrea secla carere:

Quæ firmant æquo civica jure bona.

Primitus hæ veluti Sapientum inventa fuere:

Sic merito nobis audiet ille Sophos:

Qui teneris animis persuadet vincula Legum,

Cum primo instillans semina lacte Boni.

Quos inter princeps mihi, prudentissime Fritschi,

Idq; tuo merito, laude vehere Sophi.

Tu, cum Gymnasii data frena capesseret, acre

Ingenium omnigenâ Preilius arte gravis,

Pro rostris, Legum sonuisti encomia digna;

Eloquio haut, magno, Jane, Pericle minor.

Addere fas omen mihi sit. Custodia Legum

Est disciplina nervus & artis honos.

Deproperatum XVII. KL. Januar.

Anni vertentis à Nato Christo

1616 XVI. Gorlic.

A L I

A L I U D.

Si qua fides Sophiæ consultis, si qua Themistæ:
Instar lex animæ nobilioris habet.

Nam velut humanos movet hæc, & sospitat artûs:

Consilio populum sic regit illa bono.

Prima quidem posita caruerunt secula lege;

Quæ facili patrum subjacere jugo.

At simul invaluit ruptis injuria frenis;

Sunt rigida injusti jura reperta metu:

Quæ sine jam potis est Respublica nulla vigere,

Nulla suis nervis, pace, bonisq; frui.

Ergo magistratûs penes est custodia legum:

Sed judex harum pandit operta catus:

Denique sacratis famulamur legibus omnes,

Ut nos libertas aurea respiciat.

Hæc tua promulgat, FRIDERICÆ, ac pluria Pæitho,

O decus, o patriæ firma columna tuæ;

Plausibiliq; simul fregit subsellia voce;

In lucem profert, exsinuatq; caput.

Nescio palpari, technasq; ignoro Sinonis:

Sed s' HOVA verum precipiente loquor:

Quis tua sugillet, nisi bardus, scripta, vel ardens:

Ambitione levi, bile, vel invidiâ?

M. Augustinus Preilius,
Scholæ Zittaviensis Rector.

Ordinis ut DEUS est author, sic ordine ferri
Quæq; jubet, Mundi quod notat ipse status.

Decurrunt certâ cœlestia sidera lege,

Ipse etiam certas annus habetq; vices:

Cumq; sit effigies homo, cum sit imago Tonantis:

Pectore quisq; suo semina legis habet.

Lex

Lex ea, quid fugias, quid agas, velut indice, monstrat:
Virtuti merces, pœna sed est sceleri.
Hac ex lege fluunt, ceu vivo plurima fonte
Jura, quibus vitam fœmina, Virq; regit;
Cumq; magistratum deceat defendere leges:
Hinc sibi commissi sit memor officij.
JANE, doces igitur, FRITSCI, per publica scripta:
Et rectè legum de bonitate doces.
Audiit orantem cœtu schola nostra frequenti,
Et decantantem verba diserta choro:
Cum tu Rectori dans nostri insignia ludi
Efferres doctum laudis honore Virum.
O utinam leges justo dignentur honore:
Vitæ hominum ferrent commoda quanta brevi!
Tu, Deus, ut Videant oculi, facis, & facis, aures
Ut benè percipiant rémq; sonúm; rei.
Da, legi quivis patientem accommodet aurem;
Fac, oculos nostros per pia jura regi.

Caspar Cretzschmerus Cratzow:
Pastor in Hennersdorff
im Seiffen.



Quan-

Quaquam, Auditores Nobilissimi,
Amplissimi, Excellentissimi, Reveren-
di, Clarissimi & Doctissimi, Juvenes
lectissimi, ornatissimi, ejusmodi casus
graviter ferendi non sunt, quos nullo consilio vince-
re, aut vitare possumus, & ex aliorum eventu cogi-
tare debemus, nihil novi nobis accidisse, nihilq; præ-
ter conditionem mortalium: (Nihil enim præcipue
dolendum est in eo, quod accidit universis: Levat si-
quidem dolorem communis quasi legis, & humanæ
conditionis recordatio.) Fieri tamen non potest, ut
triste desiderium ex eorum morte, quos dileximus,
aliquandiu in nobis non remaneat: quod quidem le-
niendum virtute animi, memoriâ officiorum & re-
tarum actionum, quas illi egerunt. Testis inter alios
Vir Clarissimus M. MELCHIOR GERLACHI-
us, Rector Gymnasii hujus solertissimus, qui die 14.
Februarii. hujus anni inter ardentes preces & suspi-
ria in CHRISTO unico nostro Salvatore piè & pla-
cidè obdormivit. Hic qualem se in erudiendâ, & in-
struendâ juventute, qualem se in conservanda Scho-
lastica

Patric. de
Rep.

B

lastica

2
lastica disciplinâ gesserit, memoratu difficile. Non enim severitas ipsius quenquam absterruit, non corrupta facilitas, sed æquabili quâdam morum temperie omnibus ingeniis se accommodavit, & ita cum omnium laude absolvit hoc iter, decurrit hoc stadium, palmam & coronam in cœlesti Schola consecutus. Ne autem ex hujus viri abitu, non obitu, Reip. literariæ nostræ quicquam detrimenti accederet: Amplissimus Senatus hujus Regiæ civitatis mature habito consilio, summâ curâ novum Rectorem querendum & eligendum esse statuit, & tandem hoc præcipuum munus, singulari DEI providentia, Tibi, Vir Clarissime & Præstantissime, M. Augustine Preili, amice honorande, deferrî decrevit, partim commendatione clarissimorum virorum permotus, partim fama rarò fallaci arbitra, quæ sparsa est de vera pietate, doctrinâ & moribus tuis, huncq; præsentem diem ad introductionem; & inaugurationem solennem constituit; mihi verò, decreto jussuq; patrum Patriæ, præter omnem spem & expectationem hisce diebus injunctum, ut in hoc solemnî actû dissertatiunculâ quâdam te alloquerer, non oratorio cultu aut luxu, sed simplici & submisso dicendi genere, gnarus

mea-

meorum virium: molâ enim tantum salsâ litant,
qui thura non habent; & vetus versus est:

Καδδύναμιν δ' ἐρδεύειν ἰερὸν ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Et quidem constitui verba facere de LEGIBUS:

optimam civitatem appellabo, in quâ non Magistra-
tus ad nutum suæ voluntatis imperat; sed in qua Le-
ges dominantur! causâ duplici, ut boni & periti fir-
mentur in benè agendo, & rectè judicando, & mali,
ignariq; ad ea, quæ facere debent, blandè trahantur.

TE, ô Magne DEUS, oro, mentem & linguamq;
dirige, ut salutaria videam & promam; Vos Audi-
tores rogo, adeste animis, quotquot adestis corporibus
dicentiq; favoris vestri, & benevolentia auram ad-
spirate. Principio rerum omnium post lapsum præ-
varicantis Adam, quo Societas hominum coalescere
cœpit, per annos mille octingētos, non alius fuit Ma-
gistratus, nulla lex alia, quàm paterna gubernatio:

Contiguas Pietas jussit habere domos.

Nec signare quidem, aut partiri limite Campum
Fas erat: in medium quærebant, ipsaq; tellus
Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Et hoc æquissimum erat, & moderatissimum im-
perium, quod juniores meritò ferebant, & patiebantur;
Erat priscis illis satis sic denunciari non debere

B 2

fieri,

Plin. in præ-
fat. natur.
histor.

Hesiod. lib
1. op. & di-
er.

Imaginari-
um Jus no-
minat Lud.

Gilhausen
in arb. Ju-
dic. part. 8.

cap. 7. Bor-
niti⁹ cere-
brinum ar-
bitrium in

part. polit.
lib. 4. de

Rep. curan-
da. & huj⁹
rei exem-
plum poni-

tur l. 88. §
final. de le-

gat. 2.

Virg. lib. 1
Georg. Se-
neca lib:

14. Epist;

91.

fieri, tantum apud illos valebat juris & equitatis re-
 spectus. Dionysius Halicarnassens scribit: Patribus
 familias olim majorem in suos liberos, quam heris in-
 servos suos permissam fuisse potestatem. Imperandi
 enim jus, & potestas à naturâ nemini tributa, præ-
 terquam patri, quæ vera est DEI præpotentis ac ma-
 ximi rerum omnium imago, & simulacrum: si enim
 arte, industriâ, diligentia opus pecudû rectori: quan-
 to magis hominum, animalis ad eò varii & intra-
 Etabilis? Causa verò, propter quam nova imperii for-
 ma, repulsâ patriâ potestate, suscepta est, unica fuit,
 effrenis petulantia & malitia hominum, qui sese re-
 gi amplius paternis legib' non sunt passi, cum meum
 illud, & tuum orbem invasissent, ac de rerum domi-
 nio inter cives, mox verò etiam de finibus inter fini-
 timos bella exorirentur. Idcirco remedium rigidius
 adhiberi, & duriores leges constitui, quibus non tam
 verbis, quam armis & gladio obediëntia extorquere-
 tur, & ad pietatis & modestiæ cultû homines flecte-
 rentur. Omnibus autem credo, persuasum & perspi-
 cuum, Nimerodû Principem, quem sacra litteræ po-
 tentissimum Venatorem appellant, liberos homines
 primùm legibus & moribus constrinxisse ac servare
 coegisse.

Lib. 2.

Bodin. lib.
1. cap. 4. de
Rep.Jessenius in
serm. de ll.
& morib.Tacit. lib. 3
Annal.Seneca. lib.
14. Epist.
91.Aristot. lib.
2. pol. cap.
2.Arumæus
in discurs.
Acad. de jû-
re publico
disc. 15.
pag. (mihi)
176.

coegisse. Is Germanicè, interprete Dressero, Nimbrod/
 eripiens panem ex faucibus pauperum dictus, robo-
 re, viribus, & opibus alijs omnibus antecelluit, &
 non solum politicum imperium in homines sibi sum-
 sit, sed & religionem moderatus est, urbem condidit,
 & in eâ summæ turrim altitudinis, immemorq; iræ
 divinæ, quæ nuper totum terrarum orbem absorpse-
 rat, nominis sui famam superbis, & ambitiosis ope-
 ribus extendere cogitabat. Hinc absq; dubio fabula
 nata de Gigantibus, qui congestis altissimis monti-
 bus cœlum oppugnare conati sunt. Michael Glycas
 in ædificatione turris 40 annos consumptos scribit. Et
 non primi hujus Monarchæ, sed omnium Regum &
 Principum voluntas, verba, nutus initiò pro legibus
 fuere. Ab ijs enim curationes domi ac militiæ ma-
 nare, ac precariò dari, ab iisdem arbitrio suo revocari
 consueverant. Iosephus optimus antiquitatis inter-
 pres, Israelitarum originem ab ultimo principio re-
 petens, docuit, Mosén primum omnium mortalium
 divinas illas leges, quibus omnes æqualiter, Reges,
 & subditi obtemperare debent, Scripsisse. Itaq; Phi-
 lo magnis laudibus Mosén commendat, quòd unus
 omnium mortaliù fortissimus Imperator, prudentis-

Part. 1. Mag
Histor.

Sleidan. de
4. Mo-
narch.

Paul. Meru-
la in Cos-
mograp.
part. 1. lib.
3. cap. 14.
Sleidan. i-
bidem.

Verbum le-
gis aliud ni-
hil est, quàm
summæ po-
testatis jus-
sum.

lib. 1. anti-
quitat. Ju-
daicar.
Exod. 20.

lib. anti-
quit. bibe-
lic.

lib. 2. politic.
c. ultimo.

Seneca lib.
14. Epist.
91.

lib. 2. bas.
dor.

Plutarch.
in Solone.

e. alligant.
26. quæst.
ult.

l. 42 ff. d.
pœnis,

simus Legislator, & diviniſſimus Propheta extite-
rit; Aristoteles, qui mundum ab æterno fuiſſe perpe-
rã censuit, primos legum conditores aſſignare non
potuit; Lycurgum condidiſſe leges ſcribit Lacedæ-
monijs, Zaleucum Locris occidentalibus, Charon-
dam Carthaginiensibus civibus ſuis, Philolaum Co-
rinthium Thebanis; Solonem populi poteſtate Athe-
niensibus pauciſſimas leges tuliſſe, fortè ob hanc cau-
ſam, ut ſentit modernus Rex Angliæ, quod quò pau-
ciores ſunt leges, dummodò strenuè vires ſuas exer-
ceant, eò benè moratæ Reip. melius conveniant. Solo-
nis tamen leges, quod mitiores, longè gratiores Athe-
niensibus fuère, quàm Draconis, qui levia etiam de-
lictã capitali pœnã animadvertenda cenſuit. Unde
Solon eas omnes propter aſperitatem abolevit, præter
illas, quæ de cæde erant, æquum eſſe ſtatuenſ, interem-
ti hominis facinus, morte vindicare. Quocirca De-
mades orator dicere ſolebat, Draconem non atramẽ-
to, ſed ſanguine leges ſuas ſcripſiſſe! cum tamen mul-
to ſatius de miſericordia & lenitate rationem redde-
re, quàm de crudelitate & immanitate, & pœnæ po-
tius molliendæ ſint, quàm exaſperandæ. Ita Galeaci-
us Sfortia patrum memoriã (ut veterum truculentos

Spiri-

(spiritus omittam) pœn& modum excessit, dum colonū
 coegit leporem, quem ceperat, crudum cum pelle vo-
 rare, unde mortuus est; & similiter Moschovitarū
 Rex, qui clavo pileum cuiusdam legati affigi manda-
 vit, quod injussus caput texisset. Divinus Plato dice-
 bat, necessarias esse leges omnibus hominibus, ut secū-
 dum eas viverent, alioquin nihil à feris discrepare,
 hujusq; rei causam esse, quòd nullius hominis ingeni-
 um ita naturâ institutum, ut quæ ad publicū huma-
 næ vitæ bonum conferunt, sufficienter cognoscat, &
 si cognovit, ut optimum id, quod novit, semper agere
 possit, ac velit. Romani quoq; à quibus juris & justi-
 ciæ fontes toto terrarum orbe dimanarunt, manu
 Regiâ, ut Pomponius scribit, Remp. gubernarunt,
 Nobis Romul⁹, inquit Tacitus, ut libitum imperita-
 verat; Numa religionibus & divino jure populum
 devinxit; reperta quædam à Tullo & Anco; sed præ-
 cipuus Tullius sanctorum legum fuit: pulso Tarquinio,
 creati decem viri, composuit & duodecim tabulæ, variæ
 Magistratum mutationes, donec ad Reges iterum
 populus omne imperium, & potestatem conferret.
 Imperialis enim Solertia ita Reip. curam gerit, &
 subditorum commoda investigat, ut Regni utilitas,

Cori⁹ vol.
6.

Sigism. Ba-
ro in Hist:
Moschov.
lib. 4. de l^l

I. 2. de ori-
ginè Juris
lib. 2. An-
nal. Justin.
lib. 1.

in c. 1. in
pr. de prob.
feud. alien.
per Frid.

66

Knichen
de jure ter-
ritorii cap
4. n. 376.
Tholofan.
de Rep. lib
4. cap. 5.

vide hic
Deut. cap.
10.
2. Chron:
cap. 19.
Actor: 10.
Lamprid.
in Alexad.

Et singulorum status jugiter servetur: Et speciatim
regiæ dignationi accensetur potestas magistratuum
constituendorum pro expediendâ justitiâ, ut sit offici-
alis, qui imperium publicum habeat, Et secundum le-
ges pro communi utilitate præscriptas judicet. Prin-
ceps enim, qui Et aliis intentus, Et omnibus civitati-
bus, aut locis adesse non potest, nec solus Justitiæ sub-
ditis administrandæ sufficit, per Magistrat^o delega-
tos id faciat, necesse est. Hos Jurisperitos, viros bo-
nos, incorruptos, contra improbos nocentesq³ inexo-
rabiles, immisericordesq³ esse decet, quibus per se ex-
tra Juris præcepta nihil liceat. Laudabile est Alex-
andri Severi institutum, ut, quem ad honores pro-
vinciarum, vel Justitiæ gubernacula provehere cu-
peret, ejus nomen programmate publico pervulgaret,
ut de antea acta vita inquireretur; pœnâ tamen Capi-
tali in Calumniatores latâ: oportet enim magistra-
tum viri boni Et innocentis officio fungi. Dabit hic
operam, ut summos cum infimis in rebus acquiren-
dis, retinendis, alienandis, omnibusq³ contractib^o pa-
ri jure retineat, neq³ alteri partium faveat, alteri ini-
quior sit: Hæc causa fuit dubio procul, quæ Areopa-
gitas olim movit causas, non nisi in tenebris, cognosce-

re,

re, ne Judices dicentium, sed eorum, quæ dicebantur, rationem haberent: æqualitas enim legum in civitate, est quasi pacis & tranquillitatis altrix; inæqualitas verò seditiois seminarium: equitatis enim vox, & legum temperamentum, arbitrio Majestatis relinquendum est. Principis est, ambiguas & legum diversis interpretationibus titubantes causas benignè, atq; naturalis juris moderamine temperare. Neq; verò hac angustia temporis instituti mei ratio patitur, de Polycleti regulâ ferreâ, de Lesbiâ illa plumbeâ, (Arithm. & Geom. proportionem intelligo) vel de harmoniâ disputare, quænam videlicet ratio gubernandi aptior & melior Reip: non enim Magistratui de lege, sed secundû leges judicare necesse est, aut infamiae notam subire: nimiam quidem acerbicatem lenire, lenitatem nimiam ex rerum & causarum varietate exacerbare potest, ut tamen, salvâ legis interpretatione, civitatis simul ac legum saluti cõsulatur. Extat elegans formula jurisjurandi Senatorum Romanorum: Juro per Fovem olympium &c. me sententiam velle dicere, secundum leges, & consulta à civitate adprobata, & secundum decreta Romanorum, & leges, quibus nostra Resp: administratur, in

C

respectu

Wesemb.
in paratit.
ff. quod
q;sq; juris
in alium.
Arnol.
Clapmari-
us lib. 1. de
arcan. Rer.
cap. 13.
Bodin. lib.
6. cap. ult.
de Rep.
Aristot. lib
5. Eth. ad
Nicom.
cap. 10.
Arnise^o in
doctr. po-
lit. lib. 1.
cap. 18.
Hakelm.
disp. 1.
Thes. 2.
l. servos ff.
ad l. Jul. de
adult.
Hippol. à
Collib^o in
Principe
refert,

m
m
ci-
le-
n-
ti-
ab-
ga-
bo-
co-
ex-
ex-
ro-
cu-
ret,
api-
tra-
hic
ren-
pa-
ini-
pa-
sce-
re,



respectu utilitatis Patriæ, pro viribus meis, non aliter, quàm is fecit, qui Senator fuit laudatissimus Patriæ, vel Romanæ, vel Græcæ civitatis, neq; gratiæ, neq; odio, neq; muneribus patiar servire judicium, consultumve meum, neq; privato addicam sententiam meam, neq; me ulli parti aut homini adjungam,

Hippol. à sed tantum communi utilitati, aucturus pro viribus
 Collib. ibi- Remp. Extat Ratisbonensis curiæ inscriptio: Quis-
 dem. quis Senator curiam officii causa ingrederis, ante hoc
 & legitur ista inscri- ostium privatos affectus omnes abjicito, iram, odi-
 ptio aureis um, amicitiam, adulationem, Reip. personam &
 litteris in curam subjicito. Nam ut aliis æquus, aut iniquus fu-
 Curia Gor- eris, ita quoq; DEI judicium expectabis! Memi-
 licensium. nisse quoq; debemus illius, quod Fridericus Imper.
 Exod: 23. prudentissimè dicere solitus est; optimè Remp. admi-
 v. 8. nistrari, si Consilarii atq; Senatores ante Curiam,
 Deut. 16. v. 19. odium, invidiam, simulationem, dissimulationemq;
 Eccles. 20. v. 23. deponant, Aristidis exemplum secuti, qui cum The-
 Johan: 7. v. 24. mistocle sibi infensissimo in legationem missus, cum
 Syrac: 35. v. 15. ad portam venisset, dixisse fertur: Visné, ó Themi-
 Sap. 6. v. 8. stocles, inimicitias paulisper hic deponamus, recep-
 Middedor- tur eas, cum redibimus. Et ut aurum, ita homines.
 pius quæst. 52. officiis & muneribus probari, Alphonsus Rex dicere
 Melch. Ju- ni^o p. 1. po- lit. quæst. c. 25. solebat,

solebat, cui simile est illud vulgatum: *Magistratus virum ostendit. Aristoteles hominum naturam, & mores mutari dixit, honoribus & muneribus: de muneribus rescripsere Impp. Diocletianus & Maximianus; Venales sententias, quæ in mercedem à corruptis iudicibus proferuntur, etiam citra interpositæ provocationis auxilium infirmas esse: inde lata lex repetundarum, quæ æquatur crimini Simonia, quia sicut per Simoniam venditur res sacra, sic per hoc crimen venduntur leges, quæ dicuntur Sacratissimæ. Thebani olim argute iudicum statuas sculperè & effingere ita soliti, ut sine manibus essent, nempe ut ne aurum caperent; imò nec cuperent, & possent ejus, quanquam*

*Ingentes, oculo irretorto
cernere acervos.*

Eleganter in hunc sensum Owenus ad Decianum iudicem:

*Non volo te surdum, non mutum, te volo cæcum,
Non claudum, mancum, te Deciane, volo.*

Sed fasonas, & Argonautas hodiè videmus? non ad Astream, sed ad Medeam, & auream pecudem navigant, quos liberè & verè tetigit Ammianus: Hi, inquit, nec fas ullum præ oculis habent, sed tanquam Avaritiæ venundati, & usu capti, nihil præter inse-

C 2

minatam

Casp. Ens
lib. 1. Epi-
dorp.

Erasm. Chi-
liad. 1. cen-
10. adag.
76.

in l. vena-
les C. quan-
do provo-
ca. non est
necess.

tot. rit. ff.
quæ sent.
sine app. re-
scind.

l. 1. 2. 3. ad
l. Jul. Re-
pet.

l. leges C.
de ll.

Mascard.
de probat.
concl. 165
n. 9.

Horat. lib.
2. od. 2. v.

23. 24.
lib. 1. Epi-
gram.

Lipsius cæ-
tur. 2. ad
Belg. epist.

39.
lib. 30. re-
rum gesta-

rum.

minatam petendi licentiam nōrunt: Et si quem semel intra retia ceperunt, cassibus mille impediunt, per morborum aut occupationum simulationem vicissim consulto cessantes; utq; pervulgati juris lectio una proferatur, septem vendibiles parant introitus, dilationum examina longissima contexentes: hi sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, disertissimi adversus Justiciam, eruditi pro falsitate, sapientes, ut faciant malum, eloquentes, ut impugnent verum: de muneribus quoq; extat aureum hoc sapientissimi

Bernard:
Arnifæ. idē
de ll. refert
in doct:
polit.

lib. 1. Epi-
dorp.

Scaligeri:

Quod iudicium subruitur munere, flebit,
Væ iudiciis, muneribus quæ infatuantur,
Hos dira manet tartareis pœna barathris,
Iusta ut patiantur, malè qui iniusta patrarunt.
Phlegyasq; miserrimus omnes

Virgil. lib.
6. Aeneid.

Admonet, & magnâ testatur voce per umbras:
Discite Justiciam moniti, & non temnere Divos.

Plutarch.
Apoph-
thegm.

Unde Plutarchus refert Alcamenis memoran-
dum dictum, quem cum quidam interrogasset, quam-
obrem munera à Messeniis oblata — ita recusasset,
quoniam si recepissem, inquit, cum legibus pacem ha-
bere non poteram. Magistratus enim neq; cuius-
quam gratiæ, neq; potentiæ cedit, nec invidiâ, nec
odio commovebitur, qualem describit Horatius:

lib. 3. od. 3.

Justum,

Justum, & tenacem propositi virum
 Non civium ardor prava jubentium,
 Non vultus instantis tyranni
 Mente quatit solida, neq; Auster
 Dux inquieti turbidus Adriæ,
 Nec fulminantis magna Jovis manus:
 Si fractus illabatur orbis
 Impavidum ferient ruinæ.

*Semper enim incorruptè ex legibus judicandum
 est: illæ enim nullo affectu moventur, non odere, non
 irascuntur, nulla ambitione ducuntur, diligunt o-
 mnes, pariterq; omnibus indulgent; In Magistratu
 quamvis sit maxima vis naturalis noticiæ in regēdis
 hominibus; tamen tantus est affectuum in humano
 pectore impetus, ut sæpè quis sibi ipsi eripiatur, ut con-
 tra naturæ judicium aliquid audeat, sicut testatur
 Medea apud Ovidium, dum inquit;*

— Video meliora probòq;

Deteriora sequor.:

*alium amor, alium odium, alium metus, alium am-
 bitio, aut avaritia compellit ea judicare, quæ non mo-
 dò injusta, verùm etiam contra conscientiam ejus sunt,
 qui judicat. Optimo igitur consilio consuluit Reip.
 Lotharius Imper. qui Romanas leges, quæ ad id tem-
 pus post occupatam Italiam à Gothis in Bibliothecis*

Seneca. lib.
 3. de Benefi
 Idem lib. 2.
 de Clemē.

Cominæus
 lib. 2. histo
 p(mih) 60

in Meta-
 morph. l. 7
 v. 20. 21.

Philip. Me
 lancht. in
 Rhetor.

latuerant, in lucem, & forum revocavit & constituit, ut in Imperio ex illis legibus jus diceretur. Nam antea nullo certo jure utebantur civitates, sed Magistratus pro suo arbitrio jus dicebat: Ea res cum tyrannidi vicina sit, periculosa est civitatibus, & ista legum restitutio, non modò civitates tranquilliores, sed & barbaros gentium mores mitiores reddidit. Hinc leges nostræ, æterna monumenta, dignæ, quæ ab omni posteritate meritò suspiciantur, amentur, & conserventur. Latæ leges summâ ratione statutarie variarum gentium, & particularium locorum; certum enim est, leges omnes non omnibus civitatibus convenire: tempora & mores efficiunt, ut propter eorum vicissitudinem non omnes leges perpetuò sint stabiles! mali mores, bonis legibus potentiores, faciunt, ut earum velut senium sæpius sit abstergendum, eademq; denuò vel jubenda, vel vetanda, quod à plurimis Legumlatoribus factum constat: Nihil enim in semetipso manet, natura semper multas evoluit mutationes, quas neq; prævidere facile est, neq; prædicere, adeò ut ea, quæ subtili observatione cauta sunt, plerumq; turbet emergentium causarum varietas; & quemadmodum in toto genere animan-

Heigius. p.
2. quæst:
29. n. 81. &
82.

Cunradus
Ritterhufi
us in specu
lo Principi
pis p. (mi-
hi) 107.
Nov. 69. c.
4. Bornit.
de fund. St.
Reip. cap.
18.

animantium, non modò innumerabiles sunt figurae, verùm earum, quæ figuram eandem habent, maxima varietas; sic hominum inter se admirabilis est, ac penè incredibilis dissimilitudo. Videmus enim civitates ejusdem civitatis, ejusdem urbis inter se differre; Et ut sapiens architectus ædificium diuturnum, ac stabile futurum, ad subjectam cujusq; regionis materiam aptare debet, ita quoq; optimum Principem civitatis, ad populi regionisq; naturam Et mores accommodare leges decet, Et huic sententiæ suffragatur, quod Cicero scriptum reliquit: An cum videam, navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non ea, eum petat portum, quem ego aliquando probavi, sed alium non minus tutum, atq; tranquillum; cum tempestate pugnem periculosè potius, quàm illi, salute præsertim proposita, obtemperem Et paream? Neq; enim inconstantis puto sententiam, tanquam aliquod navigium, atq; cursum ex Reip. tempestate moderari. Ego verò hæc didici, hæc vidi, hæc scripta legi, hæc de Sapientissimis Et Clarissimis viris, Et in hac Rep. Et in aliis civitatibus monumenta nobis Et literæ prodiderunt, non semper easdem sententias ab iisdem, sed quascunq; Reip. status, incli-

Euphorm.
Satyr. Jcō.
anim. cap.
10. Bodin
lib. 5. cap.
1. de Rep.

Pro Cn.
Plancio.

Non omnes, qui
habent ci-
tharam, sunt ci-
tharædi Varro
Quintiliã.
lib. 1. Insti-
tut. cap 1.
Bodin. re-
fert lib. 6.
cap: 6. de
Rep.
Step. Brut^o
vindic.
quæst. 3.
Scaliger
exercit.
131. de sub-
tilit.
Hippol. de
Marfiliis
conf. 96.
Cicer. pro
Cecinna.
Legis virt^o
est in jubé-
do, vetádo,
permitten-
do, ac puni-
endo.

inclinatio temporum, ratio concordiæ postularet, esse defendendas. Sed ad leges revertar, quibus certis opus est, propter imperitiam & inscitiam quorundam judicum, qui ex erroribus & inanibus opinionibus sibi jura judiciaq; constituunt, vel qui paullum aliquid, ultra primas litteras, progressi, falsam sibi Scientiæ persuasionem induerunt. Accursius non tam latine, quàm accommodatè ad id, quod voluit, judices imperitos verbis legum perinde insistere jussit, ut indoctos equites, qui quod equitare se posse diffidunt, extrema equestris sella, manu prehensare solent; & ut Geometra stultissimus foret, qui regula, gnomone, cæterisque organis, quæ à peritissimis quibusq; ad agri mensuram adhiberi solent, uti absurdum & indecorum putaret: ita ridiculi fuerint judices, qui normam legum negligunt! & ut nauta, qui phantasiã suã duce, temerè errare & vagari, quam ad versoriam seu pyxidem nauticam cursum navis rectè dirigere mallet. Sed, proh dolor, periti advocati vident quidem sæpè in judiciis, quid justum sit, sed non possunt cogere judices ad faciendam Justiciam; quin quod officium Magistratus maxime in executione consistat (omnia enim judicia aut dirimendarum

contro-

controversiarum, aut puniendorum malefactorum
 causâ comparata sunt,) Et pœna delicto commensu-
 randa sit, ne Et in hac parte iudices exorbitent, aut
 illas sine probabili ratione consuetudines legibus e-
 diametro pugnantes, quas judicando sequi velint,
 introducant, insontes in vincula conjiciant, quæstio-
 nibus subjiciant, Et pœnis immeritis afficiant, Et ita
 apertam multis facere injuriam necesse habeant, in-
 consultò hac ratione immerenti fuso sanguine, ma-
 nus, conscientiamq; suam commaculent. E contra,
 quomodo vitiorum, flagitiorum, Et scelerum genera,
 certis pœnis Et exquisitissimis suppliciis eradicanda
 sint, certæ leges capitales constitutæ, ut videlicet cun-
 cti sciant, nullius magistratus negligentiam Et impe-
 ritiam ullo excusationis colore tegi posse, sed pœnæ, si
 secus, quàm oportuit, judicent, subjacere: Interest e-
 nim Reip., Magistratum judicia legibus esse astri-
 cta, neq; iis, nisi ex ipsis legibus interpretandi potesta-
 tem remitti, alioquin nunquã non iudex æquitatem
 vel rigorem sibi fingeret, ut leges impunè violaret.
 Proinde judici durioribus vel levioribus pœnis quen-
 quam adficere non licet, adeò ut qui principum consti-
 tutiones negligat, pœnam incurrat. Quamobrem

D

fallit

in Nemese
 Carolina
 cap. 150.
 Harprecht
 de pub. Ju-
 dic. tit. 18.
 n. 2
 Mynsing.
 Instit: de
 pub. Jud.
 in Rubr. n.
 2.
 Damhou-
 der. in prax
 crimin. cap
 36.
 Hipp: de
 Marsiliis.
 pract. cri-
 min. § expe-
 dita n. 86.
 de Judicũ
 crudelit.
 Boeth. de
 cõsol. Phil.
 lib. 4.
 Freherus.
 in tract. de
 existim. lib
 3. de Infam
 cap. 14. de-
 not. infam
 judicum.
 Heig. part.
 2. quæst.
 22. n. 16.

l. 1. § 3. ad
L.C. de fal-
lis.
In Utopiâ
suâ.

fallit Aristoteles, teste Bodino, & cum eo Thomas
Morus, qui beatam Remp. tum fore putat, si quis
Princeps aut Magistratus tantæ virtutis ac pruden-
tiæ fuerit, ut subditos summâ equitate sine legibus
moderari velit. Quanquam enim nullâ perturbati-
one ab equitate, & justitia dimoverentur, nihilomi-
nus legibus opus esset, quibus veluti lucernâ quâdam
imperiti in densissimis humanarum actionum tene-
bris dirigerentur: facilius enim invenitur unus pru-
dens ad ferendas leges perpetuas, quàm multu ad ju-
stè pronuntiandum; imò variis multorum judiciis
conturbaretur jus, dum aliud alii justum videretur:
magnâ enim curâ ferendæ leges, majori mutandæ:
evidens utilitas esse debet, ut recedatur ab eo jure,
quod diu æquum visum est. Apud Thurios, si quis
contra leges aliquid machinaretur, laqueum collo in-
sertum gestabat, quo ei gula frangeretur, nisi legem
persuasisset Reip. utilem: & in Rep. Venetorum in-
consulto sapientum consilio, nec ad Senatum quidem
hiscere quisquam audeat de legibus. In regno Poloni-
co lex est, ne ullæ novæ constitutiones fiant, præter-
quam regio & publico consensu in comitiis. Idem jus
in omnibus benè moratis Imperiis perpetuò obtinuit,
adeò

Arnifæus

lib. 1. cap.
18. de ll. in
doct. polit
l. 2. ff. de cõ
stit. prin-
cip.

Diod. lib.

12.

Bodin. in
meth. hi-
stor. c. 6.

Steph. Bru-
tus vindic.
quæst. 3.

Neugeba-
uer lib. 1.
rer. Polon.

adeo quidem, ut ne provinciarum aut urbium singularum municipalia jura Principes, inconsultis provinciis, immutare possint: in qua per modum contractus consensere;

Nam nihil, ut verum fatear, magis esse decorum, Aut regale puto, quam legis jure solutum, Spontè tamen legi sese supponere Regem:

Leges enim illæ fundamentales, quæ jam coaluerunt, & radices cum longâ temporis comprobatione egerunt, sine subversione, & clade populorum convelli non debent, nisi accedente magna causâ. Cum igitur lex quoddam quasi organum sit, quo Societates humanae regantur optimè, & ad beatum finem dirigantur, prudenter faciunt, atq; ex salute Reip., qui & in Scholis publicis juventuti discendas proponunt, & in foro Magistratib; atq; iudicibus tractandas precipiunt, & in gubernatione atq; Imperio ubiq; sequendas, & custodiendas suadent. Legum enim omnium Scopus Justitia, & æquitas, finis verò Pax, & tranquillitas. Ideo Plato dixit, hunc esse finem legum, ut DEI cultu, & vitæ puritate, optimum ac pulcherrimum vitæ exitum consequamur. Initia, progressus, utilitatem, vim, & normam legum brevibus & quidem iis improprie tantum perstrinxi.

D 2

Refle-

De Imper.
Rom. vide
Arumæum
discurs. 9.
18. & 33.
Goldast.
polit. Im-
per. p. 1. 2.
3. & alibi.
Heigiû p.
1. quæst. 2.
3. 4. & seqq
1. digna
vox C. de ll
Alberi. Gé-
tilis. lib. 3.
c. 16. de ll.
& libertate
Gunth. lib.
8. in Ligur.
Bornit. de
fundand.
stat Reip.
cap. 9.
Arumæus
discurs 7.
de jure
publico
pag. (mihi
73.
Tolosan.
lib. 7. de
Rep. cap.
19. in fine.
l. 35. de R.
Arniseo l. 2
de jure Ma-
jest. c. 4. n.
179

Reflectam nunc sermonem meum ad id, cuius causa
hinc sumus, & cuius causa, hodierna diei constituta est
solemnitas. Quare ut ea, quae sunt in hac inaugura-
tione, felicia, faustaque sint, Ecclesia & Schola huic
nostra; rogo ego Vos, ut Aeternum DEUM pie, & re-
ligiosè mecum invocetis, hunc, qui gubernat omnia,

Horat. lib.
3. Od. 3.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & Urbes; regnaque tristia.

Nil laudabilius, nec in amplo sanctius orbe est,
Quàm laudes sancti concinuisse DEI:

Et vel Ethnici versu,

— primæ scelerum causæ mortalibus ægris,

Naturam nescire DEI.

Nam,

Strigelius. Est Pietas homini rerum gratissima messis,

Qui pius est, veris nescit egere bonis.

Omnia dives habet Pietas.

Anno M.
DC. VIII.
die 7. Ju-
nii.

Agimus igitur gratias immortales, maximasque
TIBI, ô Supreme JEHOVA, pater Domini nostri
JESU Christi, quòd in his regnorum conversionibus,
hoc turbido rerum omnium statu, Remp. & civita-
tem nostram horrendo incendio nuper collapsam, mi-
rabili modo conservasti, instaurasti, defendisti: ma-
ximè verò, quòd jam olim excitasti animum Magi-
stratus, ut hoc laudatissimum seminarium Ecclesie
& Reip., officinam artium liberalium, & discipli-
narum

narū constitueret, tum doctoribus prioribus deceden-
 tibus, subinde alios idoneos surrogaret; Oramus T E
 præpotentem DEUM ardentissimis suspiriis propter
 Filium tuum unigenitum, ut Ecclesiam, Remp. no-
 stram, & hoc Gymnasium celebre, posthac in tran-
 quillitate, & optimo statu conserves, atq; gubernes
 Spiritu tuo sancto, ut hæc inclyta civitas Zittavia,
 patria nostra suavissima, sit domicilium Ecclesie, se-
 des docentium, & officina discipulorum agnitionem
 Tui, & optimas artes hominum societati necessari-
 as. Et nunc, quod superest, T E, Clarissime, & Præ-
 stantissime Vir, M. Augustine Preili, autoritate
 jussuq; Amplissimi Senatus in nomine sacro sanctæ
 & individue Trinitatis hujus Scholæ Rectorem
 publicè declaro, & denomino. Collegas inspectioni
 tuæ & fraternæ admonitioni commendo, utpote qui
 in hac palæstrâ exercitatus, novit rationem tractan-
 di eos, quos muneris societate habet conjunctos: tuæ
 fidei porrò committo universam cætum hunc Schola-
 sticum, piæq; & fideli institutioni, quâ nihil hominibus
 magis necessarium, nihil utilius, nihil salutaris con-
 tingere potest.

O disciplinae regimen pretiosius auro!

Melissus

D 3

Homo

Job. 1.
1. ad Ti-
moth. 6.
Vide hic
Ant. d. Gue-
vara in
horol. Prin-
cip. lib. 2.
cap. 37. 38.
39. & in dif-
sertatione
singulari
de libero-
rum educa-
tione.

Homo enim uti corpore, ita & animo nudus ve-
nit in hanc lucem, & instar Protei natus recipere
habitus, & formas omnes, præcipuè tamen ad vitia
proclivis. Propterea accuratè cavendum, ne in ea
labatur, accuratè curandum, ut Virtutis habitum
induat; Ideò Socrates dixit, oportere vel non gigne-
re filios, vel si eos genuerimus, de rectâ eorum insti-
tutione maximè esse sollicitos: Inaniter enim co-
latur terra, jaciuntur semina, seruntur planta, si
demum orta, sine curâ & cultu pereunt, & pervers-
tuntur, sed

Melissus
lib. 2. paræ-
net.

Ut cultor elegantis hortuli impiger
Stirpes novellas educat,
Eisq; pâlos addit & Statumina,
Ut rectiores erigant

Apices in altum: sic tenella ætas opem
Præfulcientis quæritat.

Turpe arbor incurvata; turpe praviter
Eductus à teneris puer.

Cura vigil multum momenti scilicet adfert,
Ad docilem captum divitis ingenii.

Seneca lib.
14. epist.
91.

Non enim dat natura virtutem, ars est bonum
fieri: virtus non contingit animo, nisi instituto &
edocto.

Melissus di-
cto loco.

Evadit nemo per sese doctus in ullâ
Arte: rudimentum postulat artificem.

Phylli-

Phyllirides Chiron animosum instruxit Achillem,
Magnum & Alexandrum magnus Aristoteles.

Non velut in ramos ex imo stipite succus
Influit, in natos sic orta parentibus ipsis
Descendit Virtus.

Quapropter trado hunc librū certo ordine doctri-
nae, & disciplinae conscriptum, & auctoritate legum
Scholasticarum munitum, admoneoq; tam docentes,
quàm discentes, ut istum ordinem diligenter ser-
vent, & leges, quas ad DEI gloriam amplifican-
dam, ad juventutis piè educandæ rationem, ad do-
ctrinae deniq; puræ normam plurimùm facere vide-
mus, sanctè custodiant; Et quia impossibile est, ullâ
in urbe Remp. esse bonam, nisi debita in erudiendis
& castigandis pueris adhibeatur diligentia, addo
more veteri consueto virgas illas betulinas, è qua-
rum viminibus Romani, postquàm ea arbor ex Gal-
liis translata, fascis suos conficiebant, ut signum sit,
tradi potestatem virgis coercendi contumaces &
rebelles; addo his baculum & claves, ut admonea-
tur, concedi sibi facultatem imperandi collegis reli-
quis, non δεσποτικῶς (idem enim si fiat, tolli concordiam,
dulcem nutriculam omnium ordinum necesse est,
sed πολιτικῶς. Vobis verò discantibus, universis &
singulis

Ex equis
mitibus &
mansuetis,
equulei in
domiti &
calcitrosi
solent pro-
creari. Ant
de Gueva-
ra horol.
princip. lib
1. pag. (mi-
hi) 156.

Ant. de
Guevara
lib. 2. ho-
rol. Prin-
cip. cap. 39

singulis, summis & infimis, jussu Amplissimi Senatus, impero, & seriò injungo, ut hunc novum Rectorem, ceterosq; Collegas, ut præceptores, & quasi animorum parentes agnoscatis, honore, amore, & omni observantia cultu prosequi dignemini, & sciatis, quem vis vestrum, si verbo, vel gestu, nedum re, & factò contrà jerit, cujuscunq; loci vel ordinis fuerit, severissimas in pœnas incursum. **JESUM** Christum Filium **DEI**, Æterni Patris λόγος, cœlestis Academiae summum Doctorem ardentissimis votis oramus, ut ne nos in hac delirâ mundi senectâ deserat, sed contra Diaboli, & malevolorum hominum rabiem tueatur, colligat & servet internos semen sanctum & incorruptum veræ Religionis. Adsit docentibus & discentibus Spiritu suo sancto, ut ex Gymnasio innumeri efflorescant, qui in hac vitâ Ecclesiæ & Reip. sint salutare, & tandem in cœlesti scholâ **JESUM** Christum unâ cum Patre, & Spiritu sancto æternis laudibus extollant ac celebrent.

D I X I.

O R A-



ORATIO ΕΓΚΩΜΙΑ-

στικῆ, καὶ ἀπαντητικῆ, in qua cūm Viri incomparabilis

PHILIPPI MELANCHTHONIS τῆ μακαρίτου

laudes enarrantur, tum ad præcedentem

ἑποικωνιστικῆν, seu inauguralem respondetur, ha-
bita eodem die

à

M. AUGUSTINO PREILIO

Torgensi, Scholæ Zittaviensis

Rectore declarato.

Quanquam, Amplissimi, Generisq; splen-
dore, & auctoritate excellentissimi, nec non reve-
rendi, consultissimi, & cūm pietate, prudentiâq; tum reli-
quis virtutibus, tum eruditione præstantissimi Viri, &
adolescentes spei, indolisq; eximiæ, quanquam in dulcissi-
mo patriæ Civitatis gremio non tantūm consenescere;
sed etiam, si placuisset ita supremo dictatori, placidam hu-
ic vitæ folliculari clausulam imponere cogitaveram, : ta-
men providentiæ divinæ nutus, quo nostra consilia, præ-
claræ actiones, & successus rerum, in sua cujusque statione
digeruntur, ac temperantur, me pristinam sententiam re-
texere nunc jussit, ac mutare. Cum enim illic in officii
delegati numeris partibusq; implendis totus essem, & ni-
hil adeò minùs, quàm discessum meditare, edecumari

Jerem. 104

23.

Proverb.

16, 9 & c.

20, 249

E

lauda-

laudatissimæ hujus Reipubl. Oratores mihi ex improvise supervenerunt, & ostensâ patronorum meorum voluntate, tractanda Gymnasii, in quo verba jam facio, celeberrimi gubernacula obtulerunt. Quid igitur facerem, exiguo mihi ad deliberandum spatio concesso? Renuerémne impræmeditatus? At visus fuisset vel talenti mihi divinitus concrediti defossionem moliri, & mundanæ familiæ patri lautiozem mihi *παραμαρτίαν* injuncturo contumaciter obluētari, vel malè uxori, filiolæq; *ὀψιγενεῖ* consulere; quibus à Tarsensi Apostolo *ἠσυχάζειν*, & necessaria vitæ tuendæ commoda prospicere jubebatur. An verò temerè annuerem? At illud mihi obstabat remoræ, quòd Electori Saxonix Illustrissimo bilustris beneficii nomine me obstrictum esse, nec, sine ipsius indultu, Misnia pomaria relinquere posse memineram. Verùm enimverò in salo dubitationis reciproco fluctuanti hoc tandem succurrebat consilii, ut aleam quasi jacerem impetrandæ in aula Septemvirali dimissionis elementissimæ. Id vadum per literas tentavi, & quidem feliciter: siquidem diploma, quod ambivi, opinione citiùs exambivi. Quapropter, apertâ mihi emigrandi januâ, *προνόιας* cœlestis vestigia liquidò agnovi, inq; iis mihi pedes ponendos esse magnoperè censui ruminatus oraculum illud Dei, quo Abrahamus solum vertere jubetur: Etiam in mentem mihi vênit illud Ennianum, nescio, ubi laudatum à Tullio:

*Multi suam rem benè gessere, & publicam patriam
procul:*

*Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt
improbati.*

Cæterùm, Dei optimi maximi beneficio, in rem præsentem

Matth. 25
à u. 15. usque ad u.

29.

2. Cor. 12,

14.

1. Tim. 5,

8.

Gen. 12, 1.

2. 3.

Cic. 7. Famil. Ep. 6:

sentem jam perductus, & post inaugurationis usitatae solennia, in hunc locum augustissimum evectus, nihil sanè optaverim impensius, quàm orationē luculentam, copiosam, & πανηγύρει τὰμ conspicuā dignam. Sed enim cū aliās

πέλω ἀκομψος εἰς ὄχλον δέναι λόγον,

tum hoc imprimis tempore vires dicendi me deficiunt; utpote quo animus corporis malè affecti συμπαθεία laborat. Nam febricula, quam ex itinere non tam longinquo, quam aestuoso, pulverulento, & salebroso contraxeram, valetudinem meam ita superioribus diebus attrivit,

ut vix calamo manum admovere, nedum ad operosè meditando componere mentem, & intendere potuerim,

Quia igitur perorandi necessitas, cuius ἐστ' ἀδέητον δένος, mihi nec-opinanti est imposita: non potui non, argumento fortasse proletario delecto, admittere consilium poëtae Venusini sic in arte sua præcipientis:

Sumite materiam vestris, qui dicitis, & quam

Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,

Quid valeant humeri. —

Tu, Vir Clarissime, & consultissime, domine Iohannes Friderice, fautor ac patrone ætatē colende, summa cum gravitate, ac prudentiā disseruisti de legum origine, progressu, utilitate, vi, & normā, atq; ita disseruisti, ut nemo non dicta tua, quasi verborum sententiarūmq; floribus conspersa, (sicut loquitur tuus familiaris Cicero) patulis auribus imbiberit. Ego Phœnicem orbis eruditi Philippum Melanchthonem, non quidem pro meritorum ipsius dignitate, sed pro ingenii mei modulo laudare decrevi, causis non planè aspernandis inductus. Etenim, futurum esse, confido, ut hac ratione non tantū ipsius virtutes imi-

*Euripidas
Hippolyto.*

*Aeschylus
in Prometheus.*

*Horatius
in Arte v.
38.39.40*

*l. 3. de Oratore mihi
p. 237.*

*Adi Senecā
sub calcem
Epist. 64.*

*Aristoteles
l. 2. Me-
taph. c. 1.*

tatione exprimendas, & scripta in nostro Gymnasio pro-
poni solita juventuti studiosæ commendem; sed etiam de-
bitum ei gratæ mentis officium dependam. Nam (liceat
mihi verba Latini philosophi huc transferre) cum viri
magni, & præceptores humani generis, qui ante nos fue-
runt, multum egerint: suspiciendi sunt, honoris causâ
semper appellandi, & ritu deorum colendi. ἔ μόνον δὲ χά-
ριν ἔχειν δίκαιον τῆτοις, ὧν ἂν ἴς κοινωνῆσαι ταῖς δόξαις, ἀλλὰ καὶ
τοῖς ἐν ἐπιπολαϊότερον ἀποφηνάμενοις, ut ait sectæ Peripateticæ
conditor.

*Arnobius
l. 2. adver-
sus gentes,
mihi p.*

165.

Quocirca, benevoli auditores, mecum nomini Melan-
chthoniano assurgite, mihiq; de illo nonnihil verborum
facturo benignam aurium operulam commodate. Equi-
dem omni cura providebo, ut ne, quemadmodum Varro
Christianus inquit, loquacitas immodica, & prolixitas
fastidium audientiæ pariat.

*Cicero Phi-
lipp. 2. Cl.
1. de Divi
nat.*

Tralaticium est, inq; more veterum, ac consuetudine
positum, ut, qui laudandos alios suscipiunt, à patriæ ipso-
rum, generisq; claritate orationes feré suas auspicentur.

*Ovid. 13.
Metamor-
phos. u.*

140. 141.
*Cic. Para-
dox. 6. seu
ultimo.*

Ut enim in nobilitate quâ loci, quâ seminum causa, &
vis quædam herbarum, stirpium, & arborum peculiaris
inesse consuevit: ita homines τὸ ἀμείνονος πηλῆ nonnihil
generositatis, ex felici illius terræ sinu, in quo primitus
orti Spiritum duxerunt, & ex sanguine majorum vivido
hausisse existimantur. At verò cum sapientissimus quis-
que ita semper animatus fuerit, ut proprio Marte sine
istius notæ adminiculis ea, quæ inter mortales summa
habentur, acquirenda sibi putaverit, nec, quæ vel à natu-
râ, vel à fortunâ subministrantur, commoda in solidæ fe-
licitatis censu reposuerit: me in exaggerandis hujusmodi
Melanchthomianæ celebritatis, gloriaq; adjumentis pa-

rum

tum operæ, curæq; precii facturum esse sentio. Nam in confesso est, longè pulcrius, longèq; prædicabilius videri, si quis obscuro loco natus, & per se duntaxat commendatus emergat, & ad inclyta honorum culmina elatus, posteris suis famæ immortalis hæreditatem relinquat, quàm si, vitâ perluxum, inertiam, & nefarias scelerum turpitudines traductâ, familiæ suæ honestissimæ labem aspergat nullâ temporis diuturnitate eluendam. Qua in cogitatione mihi versanti succurrunt aurea tum Aeliani *μελιγλώσῃ*, tum Severini Boëthi effata: Siquidem ille, *γελᾶν ἔξειν*, inquit, *ἐπὶ τοῖς μεγάλως φρονῶσι διὰ τὸς πατέρας*; hic verò pronunciat; Splendidum te; si tuam non habes; aliena claritudo non efficit. Quòd si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut nobilibus imposita necessitudo videatur, ne à majorum virtute degenerent. Hæc igitur cum ita sint: ea ornamenta, quæ Philippi nostri propria non sunt, voluntario silentio involvemus. Quid enim attinet diffusius commemorare, quòd Brettæ in Palatinatu Electorali à parentibus inculpatis fuerit in lucem susceptus? quòd avum habuerit Nicolaum Heydelbergæ degentem? Quòd pater denique ipsius artificio elaborandorum armorum instructus, & rationem tormentorum bellicorum administrare solitus ob solertiam suam in Imperatoris Maximiliani, & Philippi Comitissæ, ac Septemviri Palatini noticiam, gratiâq; pervenerit? Ad filii potiùs ingeniosissimi laudes, quas ipse sibi industriâ, studio, & labore pertinaci comparavit, gradum proferemus. Etenim ut primùm ex infantia excesserat, & parentum, aviq; monitis stimulatus, ad eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem solet informari, appulerat animum; tantam sui spem, & expectationem concitavit, ut, quemad-

*l. 12. ποιη-
της ἰσορί-
ας c. 6.
l. 3. de con-
solatione
Philosophi-
æ, prosâ 6.*

*Camerari-
us in vitâ
Philippi
pag. 4. pri-
moribus.*

Cicero l. 2. de Divinatione mihi p. 217. modum agricolæ florem oleæ conspiciari, se baccam quodque visuros esse opinantur; sic ex istis floridæ indolis speciminibus jam tum divinare fuerit facile singularem eruditionis, & virtutum omnium messem, ac maturitatem.

Camerarius in vitâ Melanchthonis p. 8. & 9.

Cœperant eo tempore in Germaniâ linguæ, disciplinæq; liberales, quæ diu conclamatae quasi, & sepultæ jacuerant, reviviscere, auspiciisq; & operâ potissimum Johannis Reuchlini, quem Hermolaus Barbarus in Italia Capnionem appellaverat, & Latinam, Græcam, Ebræamq; literaturam penitus imbibisse constabat, lacertos tollere. Cum itaque hujus viri clarissimi, quem vinculo sanguinis attingebat, cum exemplo, tum cohortatione familiari accenderetur Melanchthon, adeò in conficiendo studiorum suorum curriculo processit, ut non dicam præcursorem, sed æqualem omninò habuerit neminem.

Heic ego quid divinum ejus ingenium, quid diligentiam indefessam, quid judiciû denique in ipsâ jam ineunte adolescentiâ limatissimum commemorem? Terentii Comœdias, quæ vulgò oratione non vorsa, sed prorsâ existimabantur scriptæ, primus omnium, monstrato carminis genere, in suos numeros restituit. Judicii hoc fuit. Cum dicendi artibus, perfectâq; philosophiæ sanioris cognitione disciplinas etiam superiores; Medicinam, & Jurisprudentiam ita conjunxit, ut brevi in illis progressûs faceret omnium opinione maiores. Diligentia hoc fuit. Quicquid vel semel tantum aut legerat, aut etiam audierat, ita firmiter suo affixit animo, ita fideliter suâ custodivit memoriâ, ut, quando cunque opus foret, id, seclusâ omni hæsitatione, *αὐτολεξεί*, & ad verbum redderet, atque expromeret. Ingenii hoc fuit. Proinde isti Musarum pullo non magis, quàm soli (ut ait Seneca) latere contigit: omnium quip-

l. r. de Clementia c. 8

quippe oculos in se convertit, peperitq; ipsius eruditio præcox admirationem, admiratio benevolentiam, benevolentia incredibilem nominis existimationem. Testis est vox illa Georgii Simleri, hominis literatissimi, qui Philip-pum discipulum multo se doctiorem, apud alios prædicare non dubitavit. Testis est Heydelberga, quæ tam præclara de puero adhuc impubi judicia fecit, ut illum non de an-nis, (usurpo dictum B. Cypriani) sed meritis æstimatum pri-mâ philosophiæ laureolâ condecoraverit. Testis est Acade-mia Tubingensis, ubi *μελλέφηβος* egregiâ cum laude titu-lum magistri adeptus doctrinæ suæ vestigia non ad exigui temporis prædicationem leviter pressa, sed ad memoriam sempiternam defixa post se reliquit. Quid verbis opus est? Hac famâ impulsus Elector. Saxoniae Fridericus, cogno-mento Sapiens, Witembergam, ubi Academiam recens aperuerat, eum, literas Græcas docendi gratiâ, accersendum curavit. Quam quidem provinciam tantum abest, ut de-trectare in animum induxerit, ut singulari potiùs cum ala-critate susceperit, susceptamq; incredibili sedulitate obti-nuerit, & administravit, palmâ *φιλοπονίας* collegis suis fer-mé universis prærepta. Nihil enim prius, nihil antiquius habuit, quam juventutis studiosæ commodis quam pluri-mum deservire, adeo, ut vitam sibi insuavem, atque acer-bam duceret, nisi assiduitate *παιδεύσεως* suæ eruditiores red-deret permultos,

*ἐκ ἐρίζων ἀντία τοῖς ἀγαθοῖς,
ἐδὲ μακύνων τέλος ἔδεν.*

Quocircâ non voce tantum vivâ, sed etiam calamo rem-gessit. Etenim, ut apiculæ succos ex odoratissimis qui-busq; floribus collectos in mella convertunt purissima & li- quido distendunt nectare cellas; sic ille, Deo duce, in-dustria

*l. 2. Epistola
lâ 30.*

*Sleidanus
lib. 1. Com-
ment. p. 30
31.*

*Johannes
Sturmius
in præfati-
one partiti-
onib. Orato-
riis præfixâ.*

*Pindarus
Pythiis, O-
de 4. mihi
p. 176.*

*Virgilius
4. Georg. u.
164.*

Juvenalis
Sat. 2. u.
152.

Catull^o in
Nuptiis Pe
lei à u. 73.
usq; ad u.
116.
Ovid. l. 8.
Metam. u.
171, 172,
173, 174.

dustriâ comite, nullos non doctrinarum, campos perlu-
stravit, & ex scriptorum innumerabilium flosculis medul-
lam sinceram exugens in favos digessit, & eos quâ cum suis
auditoribus, quâ cum toto orbe Europæo communicavit.
Quanto autem sudore, quantâ temporis pretiosissimi im-
pensâ, quàm frequentibus vigiliis hæc eidem steterint opu-
scula, nemo tam vecors est, quin perspiciat. Quid enim
operosius eo seculo videbatur, quàm præcepta Græcæ ju-
xtâ, ac Latinæ Grammatices tam compendiosum, diluci-
dumq; in modum tradere, ut puer *nondum ere lavari*
consuetus illis percipiendis foret ac ediscendis? Tradidit.
Quid laboriosius, quàm poëtarum juxtâ, ac Oratorum ve-
terum Homeri, Theognidis, Hesiodi, Demosthenis, Iso-
cratis, Virgilii, Ciceronis, & aliorum monumenta dextrè
Musarum alumnis enarrare? Enarravit. Quid mayo-
rem denique gnavitatem, animiq; sagacitatem desidera-
bat, quàm ex Aristotelis Peripateticorum coryphæi scriptis,
quæ tum quidem ob linguæ Græcæ ignorationem Sphin-
gis ænigmate obscuriora putabantur, utilissima quæque
excerpere, excerpta verbis explicare idoneis, explicata in
ordinem redigere legitimum, inq; ordinem redacta ap-
positis illustrare exemplis? Hæc solus omnia laudabiliter
præstitit. **D E U M** immortalem! tantane unius ho-
minis solertia tam brevi tempore, disciplinis ingenuis lu-
cem adferre, easq; ex gravissimis difficultatibus expedire
potuit? Nimirum ut de Theseo memoriæ proditum est,
quòd cum in Cretam insulam delatus, Minotauri trucidan-
di gratiâ, perplexos & inobservabiles Labyrinthi anfractus
ingrederetur, monitu Ariadnes filum januæ alligarit, ejusq;
ductu, posteaquam fortiter fecerat, periculum mortis eva-
serit: ita Philippus noster monstra teterrima, Obscuri-
tatem

tatem dico, & Barbariem, confecturus, methodo, tanquam
 filo, duce per nullas non artes, ac disciplinas variis amba-
 gibus intricatas se penetravit. Satis hoc, satis indicant il-
 lius Dialecticæ, Rhetoricæq; præceptiones: indicat Physi-
 ces, indicat Ethices aurea Epitome; quibus omnibus, si
 perspicuitatem expendas, nihil luculentius, si perfectio-
 nem σύμμετρον, nihil plenius, si brevitatem, nihil succincti-
 us reperitur. Jam quid de ψυχολογία ipsius, quid de Chro-
 nico, quid de Orationibus, ac poematis dicam; quibus
 evulgatis, jurisque publici factis quâ nominis sui claritudi-
 nem adauxit, quâ magnam à sua, posterâq; ætate grati-
 am inivit? Hodie, ut versum quisque pedibus instruxit,
 (sit mihi fas Petronii myrothecia compilare) sensumq;
 teneriorem verborum ambitu intexuit; putat, se conti-
 nuò in Heliconem venisse. Sui itaque admiratione stoli-
 dâ inflatus cristas extollit, & ad lauream, quam Horatius
 vocat, Apollinarem toto pectore aspirat. At Melanchthon
 deprehensâ, qua ad carmen iretur, viâ, nihil Musæi par-
 tûs concepit, nihil edidit, nisi ingenti literarum flumine
 perfusus, & inundatus. Quapropter licet alioquin à J. Cæ-
 sare Scaligero, ingenii planè divini, judiciiq; acerrimi vi-
 ro, sit notatus: in hoc tamen scriptionis genere album
 ab eo calculum tulit, elogiûmq; honorificentissimum re-
 portavit. O beatos, quibus hunc omnis humanitatis instau-
 ratorem & assertorem, Philosophiæ sanioris interpretem,
 rancidæq; barbariei profligatorem coràm videre, & mel-
 litissimam istius Suadæ vocem audire licuit! O quis per
 altissimas Athonis, Caucasiq; nives, aut per ferventes Li-
 byæ arenas iter facere recuset, modò si tanti viri conspe-
 ctu se fruiturum esse confidat? Quò magis mirandum est,
 nonnullos vitilitigatores extitisse, qui cum larvis, mor-
 tuisq;

*Petronius
 Arbiter in
 Satyrico.
 mihi p. 82
 l. 4. Carm.
 Od. 2. v. 9.*

*Exoterica-
 rum Exer-
 citationû
 307. sect:
 39.
 l. 6. Poëti-
 ces, qui hy-
 percriticus
 inscribitur*

*In Histori-
a natura-
lis prefati-
one.*

*Quintilia-
nus l. 2. c.
3. p. 84.*

*Aristoteles
l. 2. Me-
taph. c. 1.*

*Idem in So-
phisticis E-
lenchis c.
34. seu ul-
timo.*

cuísq; luétati, & ut Plinius inquit, obtreótatione alienæ scientiæ famam sibi aucupaturi Philippum nostrum, si Deo placet, cavillis insectari, clanculùm mordere, illiúsq; lubricationes ex alto despiciere non sunt veriti. Hic eas errorum, ille prolixitatis, alius imperfectionis, nescio, cujus, nullâ cum fronte incusavit. O homines verò gratos, qui præceptori suo, cui eruditionis suæ plerumque debent, gloriæ nonnihil detrahere, ipsiq; invidiam creare non erubescunt! Et sanè aliquo modo ferendum hoc erat, nisi res contrà se haberet. Cum enim magister hic Oecumenicus secundum Fabii præceptum se ad mensuram discientium submittebat, prima tantùm philosophiæ lineamenta, tanquam in tabellâ συνοπικῶς proponere, & quæstionibus nonnullis disertè explanatis, Aristotelem Platonémq; lecturis viam munire instituerit: quis hoc ab eo pensum feliciter absolutum esse diffitebitur? Quod si maximè hallucinatus fuisset alicubi; veniam tamen oportebat datam illi, qui ingruentium de religione certaminum æstu quasi reciproco absorptus, opuscula sua philosophica sub incidem revocare, & limâ adhibitâ, perpolire non potuit. Taceo, quòd nomen suum professus est inter homines ad lapsum proclives, ὧν ὁ νῆς, teste philosopho, πρόσ τε τῆ φύσει φανερώτατα πάντων ἔστωσ ἕχει, ὡσπερ τε τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρόσ τὸ φέγγος τὸ μεθ' ἡμέραν. Taceo, quòd multò difficilius, magisq; arduum est, quippiam invenire primùm, & viam in viam aperire, quàm eandem terere, ac frequentiore efficere, reíq; inventæ aliquid ἐπιδόσιως, cum uliq; adjicere. Non igitur laudatus modò Peripateticorum princeps temerè scriptum reliquit: μέγιστον ἀρχὴ πάντος, ὡσπερ λέγεται, διὸ καὶ χαλεπώτατον. ταύτης δὲ εὐρημένης, ῥᾶον τὸ προσδεῖναι, καὶ συνάξαι τὸ λοιπὸν ἐστίν. Quod si hoc tempore B. Lutherus postli-

postliminiò mortis in vitam paulisper rediret; quo tandem animo tam sinistra de commilitone suo fidelissimo iudicia eum laturum esse putabimus? An non Sycophantas maledicos, & nasutulos istâ, qua superstes solebat, oratione protelaturus, esset? Sic mea est sententia, à qua vel tantillum discedere nefas duco: Quicumque PHILIPPI in loco præceptoris habere dedignatur: nã is falsa eruditionis opinione tumefactus sibi plus justo arrogat, ruditatẽmq; ac vesaniam suam immane quantum prodit. Nam quicquid, per Deum Immortalem, in artibus, & sobriâ Philosophiã profecimus, id huic uni acceptum unicè referendum est: Qui titulo quidem humili, & inglorio magistri gaudet; sed quos non ille doctores multis post se parasangis relinquit? Quod si verò Suffenus quispiam eò dementis superbiã fuerit prolapsus, ut illum aspernetur, aut calumniis incessat; huic non possum non ultionis divinæ poenas ominari. Huic gravissimo D. Lutheri præconio quis non palmam det, quis non subscribat; præsertim cum homines etiam peregrini, & exteri hoc in genere ipsi manu, mentẽq; consona applauserint? Cui enim obscurum est, aut ignotum, viros extra Germaniæ limitem constitutos, eòsq; in Musarum officinã politissimos Philippi, dum adhuc in vivis ageret amicitiam partim per literas, partim coràm expetivisse, & famã ipsius pervagatissimã excitos iter longinquum devorasse. Plinius junior memoriæ prodidit, Gaditanum quendam Titi Livii nomine, gloriãq; commotum ab ultimo terrarum orbe ad eum visendum Romam venisse, statimq; ut viderat, abiisse. At verò ad contemplandum Melanchthonem non unus, sed plurimi, non Hispani tantum, sed etiam Itali, Galli, Illyrici, Græci, Britanni, & alii Wittebergam confluerunt, ibiq; non per horas, sed menses, annosve aliquot sunt commorati.

*Vide Catul
lum Carm.
14. & 19.*

*l. 2. Epi-
stol. 3.*

morati. Hæc quidem singula, & universa, nisi adeò magna
 esse, ut vix mente, ac cogitatione cujusquam capi possint,
 fatear; cum ratione insaniam: sed tamen restant alia longè
 majora, quæ expositas hæctenus B. Philippi laudes non se-
 cùs, ac Sol exortus minora lumina, obruunt & obscurant.
 Etenim cum in eam ipsam incidisset tempestatem, quâ
 Deus opt. max, Divi potissimùm Lutheri ministerio, do-
 ctrinam cœlestem diuturnis circumfusam, tenebris in lu-
 cem vindicare, mundòq; sitienti ostendere decreverat:
 inventis frugibus (ut nonnihil verborum ab Arnobio mu-
 tuer) glandes maturé sprevit, & arbuta repudiavit, bona
 malis anteferens, & inutilibus utilia præponens. Mox ve-
 rò in eum locum, unde primùm Evangelii repurgati ni-
 tor emicuerat, translatus in tam divini operis ritè conti-
 nuandi societatem assciscabatur. Quâ quidem in palæ-
 strâ, quantisper cum Θεοφάντορι περιεργημένω consensit ὁμόψυ-
 φος, καὶ ὁμόψυχος, maximo cum emolumento desudavit.
 Quoniam namque omnia, quæ controversiis agitabantur
 Theologicis, stylo facili, eòq; Latino persecutus, commo-
 distimâ methodo enodabat, inq; vulgus edebat; factum est,
 ut salutifera veritas ad populos quosque remotissimos, qui
 illius lucubrationes, affectu humano valere jussio, evolve-
 rant, propagaretur, ac dimanaret. Possem hæc eorum,
 quibus vel dogma Θεόπνευστον propugnavit Melanchthon;
 vel sacras literas illustravit, scriptorum catalogum texere,
 laudésq; aspergere. Cæterùm me revocant quasi, & re-
 prehendant virtutes illius plus quàm heroicæ, quibus domi,
 forisq; semper floruit. Omnino duas res in probato
 Ecclesiæ doctore B. Paulus inesse oportere statuit; intrepidi-
 tam nempe verbi cœlestis promulgationem, & vitæ inno-
 centiam.

l. 2. adver-
sus gentes
mibi p. III.
¶ 112.

1. Tim. 3.
ad u. 2. us-
que ad 8.
¶ Tit. 1. a
u. 5. usque
adu. 12.

Quis

Quis igitur hoc homine post Lutherum τὸν μακαρίτην animosiùs doctrinam Evangelii professus asseruit; dum nec summatum inimicitias, rhonchos, & minas flocci fecit, nec ullas sibi contentiones, & pericula subterfugienda duxit? Ubi, quanquam mirandum sapè in modum, rebus in extremâ, quod dicitur, regulâ stantibus, à Deo, qui omnes hostium insidias, clandestinâsq; molitiones, quasi de speculâ coeli altissimâ despectabat, servatus evasit: Verissimè tamen vox D. Cypriani in illum conveniat; non. animum martyrio, sed martyrium animo defuisse. Quod si tam memorabilis constantiæ exempla, quæ undiquaque sese oggerunt, colligere vellem, & à tempore me deserere, & à viribus destitui foret necesse. Mentio fieret disputationis in oppido Lipsiensi cum Eccio celebratæ, in qua Philippus B. Luthero operam subsidiariam navavit. Succederet conventus Augustanus, in quo licet Campegius Cardinalis minas jactaret, pericula intenderet, formidines opponeret; adduci tamen non potuit, ut vel transversum, quod dicitur, unguem ab ὀρθοδοξίας φερεσβίᾳ tramite declinaret, sed immobilis sibi constitit,

*Ut pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese, multis circum latrantibus undis
Mole tenet: scopuli nec quicquam, & spumæ
circum*

Saxa fremunt, lateriq; illisa refunditur alga.

Agmen clauderent comitia Imperii Ratisbonensia, ubi, cum exorti pridem dissidii compositio, & nostrarum cum Ecclesiæ Romanæ dogmatibus conciliatio quæreretur, nullis precibus, nullis præmiorum pollicitationibus

*Proverbiū
Seneca E-
pist. 12.*

*Cyprianus
sermone de
mortalita-
te mihi p.*

213.

*Sleidanus
l. 1. Comm.*

p. 30. 31.

*Camerari-
us in Vita
Philippi p.*

33. 34.

*Sleidanus
l. 7. Com.*

*Camerari-
us in Vita Phi-*

lippi p. 122

& seqq.

Virgilius 7.

Aeneid. u.

587. 588.

589. 590.

Sleidanus

l. 13. & 14.

Comment.

invitari potuit, ut, quacunque in parte nefas esse putaret,
Camerari^o adversariis cederet, & assentiretur; sed iram potius Impe-
in Vita Me- ratoris Caroli contra se suscitavit. Cæterum ogganniet
lanctih. p. heic fortasse quispiam. Ergone Melanchthon fuit *ισούγγε-*
215. & seq. λος, καὶ ἀναμάρτητος? Utinam quidem fuisset! Ego, ut cum
Terentius A- servulo Comico loquar, illum non facio Deum. Verun-
delph: act. tamen sicubi lapsus est, lenitate tantum, humana infirmita-
4. sc. 1. te, & circumspecto timore deliquit: Obstinatam ab eo ma-
Cicero pro litiam abfuisse, persuasum habeo. Nōstis, opinor, quid scri-
M. Marcel: ptum reliquerit Orator Arpinās? Si in alterutro peccan-
Horat: l. 1. dum sit, inquires, malim videri nimis timidus, quàm pa-
Serm: Sat: rum prudens. Quid igitur naves beati cœlitis, qui in can-
6. Sidon. dido nonnullis, egregiōq; corpore placent, detegam, odi-
Apollin. l. osēq; exaggerem? Religioni habeo vel Aristotelis con-
4. Epist. 18. trà ire præcepto, καὶ εἰς ἄλλο γένος μεταβάλλειν, vel eum, quem
Aristoteles laudare institui, collutulare. Ἐν σοφοῖσι γάρ, quemadmo-
l. 1. post. dum in Hippolyto canit Euripides, τὰ δ' εἰς θνητῶν, λαμβάνειν
Analyt. c. 7 τὰ μὴ καλὰ. Sed ad pensum, quod intermittere paulisper
Plautus sum visus, me refero, & ad Philippi virtutes, quibus in vi-
Trinū: act. tā potissimum privatā excellit, levi brachio attingendas
2, sc. 2. progredior. Quæ verò illis potest oratio par inveniri?
Epistol. 54 Quàm multa senex perpessitius, (uti mihi liceat verbo Sene-
& 104. cæ) & omnia per aspera jactatus dissimulavit? Quas non
 molestias publicæ tranquillitatis tuendæ gratiâ concoxit?
 Zoilorum latratu furioso, & conviciis appetebatur? Mus-
 fabat, certōq; statuebat, non esse futurum, ut carptoribus
 suis fides haberetur, cum ipse nihil reprehensione, pro-
 brisq; dignum in se admisisset. Ab hostibus injurias ac-
 cipiebat? singulari tolerantia illas non tantum sustinebat;
 sed etiam superabar. Interpellabatur ab amicis, ut confi-
 ctas malevolorum criminationes stricto ultoris styli acu-
 mine

mine à suo capite amoliretur. ? Nolebat, constare, inqui-
ens, cœteroquin, quid animi haberet, ac sentiret. Et hæc
virtus quidem mirifica fuit Melanchthonis: Quid dicam
de cæteris? Nam quantâ temperantiâ, quantâ humanitate,
quantâ modestiâ, animiq; submissione, quanto candore,
quantâ denique liberalitate fuit ornatus? ! Nemo inconti-
nens unquam ita ad fœdas corporis voluptates aspiravit, ut
easdem hic semper est averſatus. Nullum ex ipsius ore ver-
bum prodiit, quin comitatis neſtare tinctum eos, qui
præſtò erant, aut institueret, aut à vitiis dehortaretur,
aut è luctu recrearet.

Φεῦ, Φεῦ. τὸ σῶφρον ὡς ἀπανταχῆ καλόν,
καὶ δόξαν ἐθλήν ἐν βροτοῖς κομίζεται;

Euripides
Hippolyto.

Ambitionis & superbiæ morbum, ut aliquam imma-
nem ac perniciosam bestiam, pestemq; fugiebat. Ete-
nim Servatoris illud effatum probè noverat: *ὡς τὸ ἐν ἀν- Luc. 16. 15.*
θρώποις ὑψηλόν, βδέλυγμα ἐνώπιον τῶ θεοῦ ἐστίν. Simplicitatem
priscam, ἀδόλον, & nudam coluit: assentatione personata
nullius gratiam est aucupatus: à simulandi, dissimulandiq;
artificio, cui hodie mundus, Diaboli instinctu, certatim o-
peratur, abhorruit, & *λαθροθήκας*, qui

Syr. 37. 3.

Palàm blandiuntur; clàm, si occasio usquam est,
Aquam frigidam subdolè suffundunt,

Plant. Ci-
stellari act.

res 1. sc. 1.

sibi suas habere jussit.

Non enim existimabat, hanc esse sapientiam *ἀνώθεν κατερ-
χομένην*, sed *ἐπίγειον, ψυχικὴν, καὶ δαίμονιῶδη*, ut asserit Apo-
stolus. Postremò sordium, & avaritiæ, quæ B. Paulo, &
Oratore Romano testibus, malorum omnium est radix,
& sanctissima quæque, & solennia maximè officia violat,
expertem fuisse Philippum, argumento est multorum in-
opia.

Jac: 3. 15.

1. Tim. 6.

10.

Cicerne pro
Quintio.

opia cum proprio rei familiaris intertrimento sublevata. Etenim *nequam verbum illud est, benè vult, nisi qui benè facit.*

Plautus

Trinum-

mo Act. 2.
sc. 12.

Sophocles
in Antigo-
ne.

Epist. 90.

M. Minuti-
us Felix in
Octavio.

Pindarus

Nemeis o-
de 1.

l. 6. de be-
neficiis, c7.

Virgilius
2. Georgic.
v. 45. 46.

Solet aliàs in nostri ordinis, lociq; homines jaci & de-
torqueri Sophocléum, diciturum: τὸ μανικὸν δὴ πᾶν
Φιλάργου γενος. Verùm noster ὁ μεσοπόλος ex philosophia,
cujus pretium est, secundùm Senecam, non posse pretio
capi, didicerat, malè credi fortunæ, ut ait ille, magnòq;
viatico breve vitæ iter non instrui, sed onerari. Quapro-
pter nullum egenum, & quæ ad victum suppeditarent, &
amicum, corrogantem vacuis à se manibus dimittebat,
sed Pindari sententiam in ore, animòq; habebat;

ἔκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρω πλῆ —

τον κατακρύψαις ἔχειν.

ἀλλ' ἐόντων εὐτε παθεῖν, ἢ ἀκῆ —

σαι, φίλοις ἐξαρκέων.

At quònam ego provehor? Cur tantum impendo ver-
borum? Vita Melanchthonis ἀρχέλυπον quoddam fuit, &
insigne exemplar omnium virtutum, ad quas non instru-
ctus, aut educatus, sed imbutus, atque factus à natura vide-
batur. Cæterùm aut ego fallor, aut vultus vester, audi-
tores humanissimi, rugas colligit, & attrahit frontem, ut
inquit Seneca, quasi longius exeam, vestraq; in audiendo
facilitate abutar. Ignoscite, obsecro, meæ, si qua modò
est, garrulitati, bonúmq; animum habete.

In manibus terræ: non hîc vos carmine ficto,

Atque per ambages, & longa exorsa tenebo.

Nonnihîl reliquiarum mihi cogendum est: quibus satis
si fecero, portum optatum velis complicatis subibo. Di-
xi, quem vivendi cursum tenuerit Germaniæ nostræ Phœ-
nix; sed multò jejunius, multò exilius, quàm rerum splen-
dor, & majestas flagitabat. Nam quistanto ingenio,
tantâq;

tantâq; valet eloquentiâ, ut laudum, quas strictim delibavi, præstantiam, non dico, exornare, sed enarrare decenter possit?

Sequitur jam, ut brevitatis causâ obitum Philippi primoribus duntaxat digitis attingam: quò nemini non innotescat, vitam laudabiliter exactam sine non minus laudabili fuisse terminatam. Sicut autem hætenus feci; ita deinceps etiam veritatis sinceræ rationem habebo;

ὃ ψεύδει λέγω
λόγον. Διάπειρά τοι
βροτῶν ἔλεγχος.

Pindarus
Olympijs
ode. 4.

Compleverat senex de Ecclesia Christi meritissimus, calamitatûmq; ævi & gloriæ satur., annum κλιμακτηρικόν, hoc est, tertium & sexagesimum ætatis, qui necem præstantissimis quibusq; viris aut importare solet, aut comminari, quemadmodum in multâ hominum memoriâ est observatum. Sed ubi formidabilem mortis hiatus evasisse jam videretur; ecce feбри demum lenta, & omnem medicorum solertiam fallente corripitur. Quâ licet viculas suas imminui paullatim ac labefactari deprehenderet: nihil tamen, quæ erat hominis pertinax assiduitas, de laboribus Academicis remittebat, usque dum, vi morbi indies magis, magisq; ingravescente, affixus lecto teneretur. Quid verò hic pietatem ejus, & tolerantiam, animûmq; incredibili robore armatum & munitum prædicem? Suo nimirum exemplo comprobavit Melanchthon veritatem dicti Sophocléi:

ἡ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς.
καὶ ζῶσι, καὶ θάνωσιν, ἔκ ἀπόλλυται.

Sophocles
in Philoçte
te, sub finē.

Ut enim integrâ valetudine præditus Deum rectè agnitum coluerat, ipsiq; victimas gratiarum actionis, &

1. Pet. 2, 5.
Ebr. 13, 15.

G

precum

- 1. Tim. 1, 5.* precum mysticas, easque ex fide *ἀνυποκρίτως* profectas quoti-
Ebr. 11, 4. diè litaverat: ita nec æger, mortique vicinus à se defecit,
 sed in religiosissimo instituto perseveravit. Nihil à
C H R I S T O aliud ad extremum usque halitum fractâ
 propemodum voce petiit, quàm ut Ecclesiæ navim va-
 riis dissidentium opinionum fluctibus jactatam sisteret,
 inque tuto, ac solido collocaret. Nec exquisita dolorum
 acerbitas, nec admotus leti imminentis horror ipsum de-
 gradu mentis dejecit, sed spe potius inconcussâ æternæ sa-
 lutis consequendæ adauxit. Nullum in eo impatientiæ
Phil 1, 23. signum, animadvertere erat: utpote qui carnis tantum
 vinculis exolvi, & ex ærumnoso mundi scelerati ergastu-
 lo in veram beatamque patriam commigrare exoptabat.
Cyprianus Itaque posteaquam tutelæ, & fidei divinæ animulam suam,
Sermone quasi depositum fideliter custoditum, reddidisset, quàm
de cæna placidissimè expiravit, & mortalitatem cum immortali-
Domini. tate, icholam terrenam cum cœlesti, calamitates tempo-
Dan. 12, 3. rarias cum gaudiis sempiternis commutavit: ubi instar stel-
1 Cor. 13, 12 læ radiosissimæ fulget, & mysteria divina, quorum um-
Esa. 64, 4. bram hîc, partemque millesiam vix cognoscimus, intro-
1. Cor. 2, 9 spicit penitus, iis cumulatus præmiis, quæ nec oculis usur-
 pari, nec auribus percipi, nec dicendo explicari, imò nec
 cogitatione depingi queunt. Hoc igitur heroe in cœ-
 lum evocato, Germania ornamentum, Ecclesia muni-
 mentum, Academia Witebergensis decus, & columen su-
 um amisit. Non enim, ut cum Plinio loquar, unus
Plinius ju- nior l. 1. E- pist. 22. homo, sed literæ ipsæ, omnesque adeo bonæ artes in uno
 homine extingui sunt visæ. An verò Hercules, qui sua
 facinora viribus pleraque corporis patraverat, à Græcis
 albo Deorum ascriptus sit, & ad sempiternam memori-
 am consecratus? Nostri autem Melanchthonis nomen au-
 gustissi-

gustissimum invida, & araneosa delebit oblivio? Ille quidem Augiæ stabulum contractis per multos annos sordibus repletum expurgavit: Hic squallorem & maculas, quæ in liberalibus disciplinis penitus infederant, atque inveteraverant, absterfit. Ille pervigili Dracone interempto aurea mâla ex hortis Hesperidum Libycis decerpfit, & ad regem Eurystheum deportavit: Hic ex Musarum viridariis marcescere nesciis fructûs collegit toti terrarum orbi profuturos. Ille nodosâ instructus clavâ monstra penè innumera domuit, & expugnavit: Hic opinionum & superstitionum absurdissimarum portenta calamo tantùm scriptorio usus confôdit.

Diodorus
Siculus l. 5.
rerum anti-
quarum.

Quantum ergo animi bona dotibus corporis, quantum gloria ingenio parva bellicæ, quantum denique humana divinis antistant: tantùm Herculi Philippus noster putandus est excellere, & à Lethæi fluminis aspergine prohibendus.

πολλὰ γὰρ ποτ' ἂν ζῶν τοῖς πασὶν εἶπε χρήσιμα.
μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Theocritus
Epigram-
mate 815

Satis mihi de argumento proposito multa verba fecisse, & Melanchthonem juventuti φιλομαθεῖ commendasse videor, obsecutus præcepto philosophi: ἡθικὴν δὲ τὴν διήγησιν εἶναι.

Ἐπίχαρμος

Aristoteles
l. 3. Rhetorics

Restat, ut, virorum clarissimè, Johannes Friderice, ad te revertar, & inaugurationem meam qualicunque responsione excipiam. Tu numen trinunius Dei præfatus cùm gymnasii hujusce rectoram, tum functionis ejusdem insignia publico Senatûs amplissimi nomine mihi destinata concredidisti, successorémq; viro Eximio, M. Gerlachio, τῷ ἐν ἀγίοις solenniter me surrogâsti. Liceat mihi sine verborum nubilo, quod sentio, eloqui: Unâ operâ & honorem,

ad
Theode-
sten c. 16.

G 2

rem,

*Ausonius
in gratia-
rum actio-
ne pro con-
sulatu ad
Gratia-
num Impe-
ratorem.*

*Mostellari-
â Act. 3.
sc. 2. u. 114.*

*Plautus
Trinum.
Act. 1. sc.
1. u. 9.*

*Plautus in
Sticho Act.
1. sc. 2.*

*Athanasii
de incarna-
tio. Verbi
& Niceph.
in confess.*

*Terentius
in Adelph.
Act. 1. sc. 1.*

*Horatius.
l. 1. Epist.
1. u. 76.*

*Juvenalis
Sat. 2. v.
147.*

rem, & onus in me contulisti. Honorem, quod citra pe-
titionem ambitiosam me provinciæ satis luculentæ præ-
fecisti; cum, ut ait ille, nec manûs prænsaverim, nec tribûs
circumiverim, nec centurias adulaverim. Onus autem,
quòd undecennis experientiæ magisterio edoctus perspe-
ctum habeo, quanti labores & fluctûs magistris schola-
rum in hac mundi sentinâ constitutis impendeant.
Opera in isto pulvere operam trudit, & catenâ quadam
in abruptâ, perpetuâq. connectit: Parum laxamenti præ-
ceptoribus relinquitur usque à mani ad vesperum, ut Plau-
tus loquitur. Confligendum est cum indomitâ rudita-
te, malisq; moribus, qui, teste Comico,

Quasi herba irrigua succreverunt uberrimè: Ali-
quando etiam venatum ducendæ sunt canes invitæ, ut ait
ille: Ubi quamvis tua strenuè impleas munia; Aristar-
chis tamen sterilis Virtutum seculi vix satisfacies. Nam
ad captum discentium te applicas, & ut verbo antistitum
veteris Ecclesiæ utar, *συγκρατίζεις*? Continuo eruditio-
nis tuæ soliditas in dubium vocatur. In docendo es accu-
rator, & profectui veteranorum consulis? Mox altio-
ris scientiæ ostentator audis. Mitigationem agis Terentia-
num, & discipulos pudore potius, & liberalitate, quàm
metu retinere conaris? Dissolutæ crimen disciplinæ illi-
cò tibi impingitur. Pro re natâ in contumaciam juve-
nilem necessariæ severitatis aciem stringis? Ab indul-
gentiâ parentum malæ tractationis, & inauditæ crudeli-
tatis reus perageris. Adeo plebi multorum capitum bel-
luæ, & nonnullis etiam ad Podium spectantibus placere,
& mediocritatem, quæ ab istis errore opinionis fingitur,
tenere arduum est, ac difficile. Non effutio hæc incogi-
tantiâ lapsus, aut vanitate:

Non

*Non sum tam temerarius, nec audax,
Nec mendacia qui loquar libenter.*

*Martialis
l. 5. Epigr.
146. v. 2. 3*

Stat à meis partibus rei ipsius veritas? Testor vos, miserandi cineres Ossitij: quod oppidum mihi Witebergensium Musarum alumno decenni, & adhuc ἀγάμω ludi literarij habenas commisit, primúmque hospitium præbuit: sed nunc acerbissimo concidit incendio conflagratum. Testor te, illustris Misena, cujus Afranæ palæstræ per sexennium insudavi. Testor te, patria dulcissima Torga, serenissimorum Saxoniae Electorum sedes antiqua. Cæterùm mihi in hac molestiarum imminentium cogitatione versanti animum primò addunt tres spectatissimi humanæ sapientiæ consulti, qui de juventutis informandæ laboribus honorificè sentiunt. Dic igitur, consularis eloquentissime Tulli, de nostro vitæ genere quid tibi videtur? Nullum munus Reipublicæ afferre majus, meliusvé possumus, quàm si docemus, atque erudimus juventutem, his præsertim moribus atque temporibus: quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda, atque coërcenda sit. Dic tu, philosophe Chæronensis, Trajani familiaris: ὁ παιδοτριβῶν νέον ἐν πράγμασι κοινοῖς, καὶ δημοσίοις ἀγῶσι, καὶ ᾧ ἄσκειυάζων τῇ πατρίδι, μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηνετῆρ' τε ἔργων, ἐν ᾧ μικρῷ μέρει πολιτείας, ἔδῃ Φαύλῳ χρήσιμός ἐστι. Dic tu, Stoice Cordubensis, magister Neronis: Non is solus Reipubl. prodest, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace, bellóque censet: sed qui juventutem exhortatur, qui in tantâ bonorum præceptorum inopia virtute instruit animos, qui ad pecuniam luxuriámque cursu ruentes prænsat ac retrahit, & si nihil aliud, certè moratur, in priva-

Sic loquitur 4. ad Herennium Cicero.

Cicero in exordio. 2. l. de divinatione.

Plutarchus in libel. in scripto, ἐπὶ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον.

Hom. Ili. l. 9. v. 443.

Seneca libro de Tranquillitate c. 3.

*Cicero pro
A. Cluentia.*

to publicum negotium agit. Secundo loco me consolatur Senatus amplissimi, cujus frequenti, jucundóq; conspectu fruor, munificentia, autoritas, & prudentia. Is non solùm mihi huc delato, quàm benignitatis suæ primitias degustandas exhibuit, quàm defensionem adversus Thrasonum injurias promisit: sed jam pridem quoque Athenæum, cui me præesse jussit, certis quibusdam legibus, iisque prælo typographico subjectis fundavit. Sibi enim certò persuasit, quòd, ut corpora nostra sine mente, sic schola sine lege, suis partibus, ut nervis ac sanguine, & membris, uti non possit.

Equidem, implorato, augustissimæ Trinitatis auxilio, polliceor, me legum fore ministrum; & delegatas curationis *1. Pet. 4. 11.* latae partes ἐξ ἰχθύος, ἢς χορηγεῖ ὁ Θεὸς, executurum esse. Præ omnibus enim mihi curæ cordiq; erit, ut ætati tenellæ pietatis incorruptæ rudimenta sedulò instillem; utpote in *1. Joh. 17. 3.* quibus salutis æternæ cardo vertitur. Ab his simul atque *1. Tim. 4. 8.* discessero, enitar, ut pubem scholasticam ab improba licentia, & licentiosa improbitate divellam, & tam artium dicendi, quàm trium linguarum principum cognitione imbutam ad Academica studia tractanda præparem.

Vestrum est, humanissimi, & ornatissimi Domini Collegæ, eandem mecum incudem tundere, & indefessam, quam hætenus navastis, operam quoque in posterum continuare, ut adolescentiæ inertis, inq; vitium flecti cereæ *Horatii in Arte Poetica. 163.* mores, & ingenia excolantur, & gymnasium nostro flos nitórq; pristinus constet. Non arbitror vos præterire illud Euripidis effatum: εἰς ἀνὴρ ἔπ᾿ ἀνδ' ὄρα. Proinde vos mihi præbete fidos ὁδογυίας, & consilia mecum vestra conjungite, studium modestiæ, candoris sinceri, & concordia vobis de me polliciti.

In Phœnissis.

Tan-

Tandem, discipuli loco filiorum exosculandi, vos compello, & amore paterno inductus cohortor, ut non modò timorem Dei, & pietatem, quæ est initium sapientiæ, & fundamentum omnium virtutum, inprimis commendatam vobis habeatis; sed etiam docilitatis donum in annis prætextatis divinitus vobis collatum agnoscatis, & bene collocetis. **ALTIUS** præcepta descendunt, ait Seneca, quæ teneris imprimuntur ætatibus.

Ignaviâ igitur excusâ, descendit a lacritate induite: siquidem magna pars est profectus velle proficere: desidiose autem studere torqueri est, teste philosopho *τῷ προειρημένῳ*. Obsequentiam commodate magistris vestris juxta, ac legibus, quas Senatus amplissimus vobis curavit præscribendas. In mente vestrâ insculpate illud Aristotelicum: *τὸν μέλλοντα καλῶς ἀρχεῖν, ἀρχήναι δὲ πρῶτον*. Cogitate cum animis vestris, quod J. Casar Scaliger pronuntiat:

Qui legibus obtemperat, hic imperat ipsis.

Nolite quæso committere, ut vobis innascatur *Φιλαντία*, & arrogans persuasio, quæ magnos frequenter profectus perdidit, autore Fabio. Qui ipse se contemnit, in eo est indoles industriæ, asserit Comicus. Amplectimini patientiam, quæ cum adultis, cum adolescentibus maximè est necessaria. Nam, ut inquit Episcopus Carthaginensis, durus & arduus limes, qui tendit ad gloriam, nec est ad magna facilis ascensus. Sed fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum. Contrà, non est dignus dulcoris acumine, qui amaritudinis nequivit inviscari gravamine. Vidistis mihi tradi baculum, & virgas, severioris disciplinæ instrumenta. Vos autem vel sponte officium facite, vel objurgatione corrigimini, ut

illibe-

*Pf. 111, 10.
Prov. 1, 7.
Cicero pro
Plancio.*

*Aristoteles
sect. 30.
quest. 5.
Quintilia
nº l. 1. c. 19*

*Consolati-
one ad Hel-
viam. c. 16
Seneca.*

*Epist. 71.
l. 7. politi-
cor. c. 14.*

*l. 1. Epi-
dorpid.*

*l. 2. Instit.
Orat. c. 4.
Plautº Tri-
nummo*

*act. 2. sc. 2.
Ebr. 10, 36.*

*Cyprianus
tractatu 2
de habitu
virginum.*

*Plautº Asi.
A. 2. sc. 2.*

*Boëtius de
disc. schol.
l. 1. c. 4.*

*Euripides
Alceſtide.*

*Seneca in
conſolatione
ad Hel-*

*viam. c. 9.
Omnis lo-
cus ſapient-
ti viro pa-
tria eſt.*

Luc. 16, 22.

illiberali genere caſtigandi poſſit ſuperſederi,

το
εὐγενὲς ἐκφέρειν πρὸς αἰδῶ.


Phryges verò, ut eſt in proverbio, & peſſima quæque
mancipia plâgis emendantur. Vos, ut confido, ab iſtâ
macula honeſtatem famæ, exiſtimationiſq; veſtræ prohi-
bebitis. Quod reliquum eſt, te Deus omnipotens & mi-
ſericors, imploro, & veneror, ut hanc totam urbem (quam
ſapientium more habeo pro patria) ſospites, & ab incen-
diorum, aliarumq; cladum procella defendas, & in hac
ſchola quâ docentium, quâ diſcentium labores cle-
menter fortunes, adeoq; nos omnes ac ſingulos,
prævio verbi cœleſtis, fideiq; lumine, in ſedes
beatas, gremiumq; Abrahami aliquando
transferas, & conducas.



Clarissi-



Clarissimo Viro
 DN. M. AUGUSTINO PREILIO,
 Rectori Scholæ Zittaviensis, de
 Philippo Melanchthone, Inaugura-
 lis orationis loco, peroranti,
 perorataq; edenti.

 *Uàm non Luna potest, nisi terræ hanc
 occulat umbra,*

*Deficere, atque uno fixa manere polo:
 Tàm non Pieridum solidas eductus ad artes,
 Aut latet, aut unam sustinet ire viam.
 Nutrierat PREILUM cerebro Iovis edita Pallas,
 Et dederat Phœbi posse ferire chelyn.
 An lateas nulli noscendus? ut aurea Phœbe,
 Dispergit radios luminis orta sui;
 Ut quem curandi multâ arte instruxit Apollo,
 Ægræ certantes expetiêre domus;
 Sic sese ingenii produnt ubi fulgida dona,
 Te ludi ad fasces oppida quæque vocant.*

Et

Et jam præfueras multis cum laude Lycæis,
 Afranam irradians, Ossitiūq; Scholam,
 Cum te Rectorem dotes mirata peramplos
 E patriâ Torgâ regia Zitta rapit.
 Ut rapuit, lumen ludo intulit, atque ruenti
 Gymnasio antiquum est reddere visa decus.
 Quid loquar? haud quicquam te, falsa est Zitta
 legendo;

Monstrant Romanis æmula scripta libris,
 Scripta, inquam, magnum commendatura
 PHILIPPUM,

Quæ Seneca, & Cicero laudibus ipse vehat;
 Quin quæ Zitta probat, noscens ex ungue leonem
 Te ludi exoptat semper habere caput. (hæc
 Tale mane, clarūmq; diu diffunde nitorem:
 Te necis umbra quidem, sera sed umbra tegat.

F. Affini,

Samuel Müller, duorum nobi-
 lium Bohemorum p. t. Informator.

πρὸς ἀναγνώσῃν τὸν εὐμενῆ.

Σφάλματα χαλκογράφου σύγγνωθι, ὁ ταῦτα ἀναγνῆς.

Πάντα κατορθόμενά ἐσι μόνοιο θεῷ.

AD LECTOREM BENEVOLUM.

Qui legis hæc, bone vir, mendis ignosce typorum.

Solius est omni labe vacare DEI.

E R R A T A.

Operæ typographicæ modis quinque potissimum sunt hallucinata: Primum distingvendo, seu interpungendo:

Deinde tonis vel assignandis citra necessitatem, vel omittendis:

Tertio loco vocabulis dividendis sub finem, & initium linearum nonnullibi: Tum maximè nominibus, locisque autorum in margine laudatorum contextui accommodandis, ut A. II. f. 2. l. 22. 23. 28. C. I. f. 1. l. 9. & seqq. ac f. 2. l. 15. & seqq. C. II. f. 1. l. 14. D. I. f. 2. l. 1. 2. 3. allegata pertinent ad f. 1. l. penult. F. III. f. 2. l. 15. 16. & c. F. IV. f. 2. à l. 5. usq; ad 12. G. IV. f. 1. l. 7. 8.

Postremò cum literâ excludendâ, ut H. C. III. f. 1. l. penult. in Melanchthon, O in Cicerone, F. IV. f. 1. l. penult. A. in Cistellariâ F. IV. f. 1. l. 22. vel invertendâ, ut E. III. f. 1. l. 5. in margine, tum dictione vel distrahendâ, ut E. III. f. 1. l. 11. vel perperam exprimendâ, ut humano pro humano. C. III. f. 1. l. 14. nostrarum pro nostratium. F. III. f. 1. l. 29. Cætera, quæ nostros oculos fugerunt, errata candidus lector emendabit.

QKye 5220

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

worm



Q. N. 150, 31.

ACTUS IN introducō in taviense VII

Anno c

Novo

1. *Dissertationem*
ZITTAVI
2. *Orationem*, M
TORGENSIS, R
Melanchthonis τ

SENEC

Hoc primū n
nem nostrū m
tati agnatum

ZIT

Excusus Typis f o

